





CONCORDANTIARUM
SPECIME

CUM

PROLEGOM

IN QUIBUS PRAESERTIM CONCO
RECENSENTUR EARUMQUE ORI
DECLARANTU

VIRIS CLARISSIMIS P

QUI NUNC IN HANC URBE

SUMMA CUM OBSER

OFFERT

HENRICUS ERNESTUS

PHILOS. DR. PROFESS
BIBLIOTHECAE REGIAE AC
PRAEFECTUS SECUNDA

HALIS

TYPIS SUMTIBUSQUE HE

MDCCCLXVII.

ARUM HOMERICARUM
PECIMEN

CUM

EGOMENIS

TIM CONCORDANTIAE BIBLICAE
IQUE ORIGO ET PROGRESSUS
CLARANTUR.

ISSIMIS PHILOLOGIS

NC URBEM CONVENIUNT

UM OBSERVANTIA

OFFERT

ERNESTUS BINDSEIL
OS. DR. PROFESSOR
CAE REGIAE ACADEMICAE
CTUS SECUNDARIUS.

HALIS
ITIBUSQUE HENDELIIS
IDCCCLXVII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

GODOFREDO BERNHARDYO

PHILOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO
REGI A CONSILIIS REGIMINIS INTIMIS
BIBLIOTHECAE REGIAE ACADEMICAE PRAEFECTO PRIMARIO
AQUILAE RUBRAE III. CL. SUPERIORIS GRADUS EQUITI

HOC SPECIMEN

D. D. D.

OBSERVANTISSIMUS AUCTOR.

PRAEFATIO.

Hoc Concordantiarum Homericarum specimine ac Prolegomenis ei praefixis assequi studeo, ut idem fructus, quem Concordantiae Biblicae iam inde a seculo XIII. Scripturae sacrae studio attulerunt, similibus libris etiam classicis auctoribus afferatur. Quam ob rem Concordantiarum Biblicarum originem progressumque exposui, easque singulas, quotquot mihi innotuerunt, recensui addito ex iis, quas aut ipse possideo, aut ex tribus huius urbis Bibliothecis, scilicet Regia Academica, Orphanotrophei et Mariana comportavi, specimine, ex quo lector facilius cognoscat rationem, qua haec opera utilissima sint concinnata.

Ex illa historia unusquisque intelliget, Seberum, qui solus, quod scio, hucusque eiusmodi opus de classico auctore perficere conatus est, in iisdem initiis versari, quibus Hugo de Sancto Charo, Concordantiarum Biblicarum inventor, versatus est; eodem igitur iure, quo Hugonis opus Concordantiarum titulo insignitur, etiam Seberi Indicem hoc titulo esse dignum, quippe quod utriusque operis ratio omnino aequalis est. Sicuti vero ex Hugonis elementis paulo post *Anglicanae* et *maiores*, quae dicuntur, Concordantiae verae ortae sunt, sic nunc ex Seberi initiis meum specimen, in quo usus sum Carminum Homeri editione stereotypa, quae secundum recensionem Wolfii cum praefatione Godofr. Hermanni prodiit Lipsiae apud Car. Tauchnitium 1825. 8⁰ min.

Valde opto, ut hoc specimine incitatus aliquis integrum Concordantiarum opus sive in Homerum sive in alium graecum latinumve auctorem elaboret, si non mihi ipsi contingat, eiusmodi Concordantias bibliopolae cuiusdam ope perficere, dum animi corporisque vires ad tale opus immensi laboris sufficiant.

Halis, Kalendis Septembris MDCCCLXVII.

Bindseil.

CONSPECTUS

EORUM QUAE IN HOC OPUSCULO CONTINENTUR.

PROLEGOMENA.

pag.

Prooemium I

DE INDICIBUS I

Varius huius vocis usus I

Seberi Index Homericus III

DE CONCORDANTIIS V

A. De origine et progressu Concordantiarum V

Hugonis de Sancto Charo inventoris Concordantiae lat. V

Concordantiarum *Anglicanarum* lat. auctores IX

Concordantiarum *maiorum* lat. auctor X

Concordantiarum lat. vocum indeclinabilium auctor . . XII

Primarum graecarum et hebraicarum auctores . . . XIV

B. Recensio Concordantiarum editarum secundum linguas, quibus scriptae sunt, dispositarum XVI

I. Concordantiae Bibliorum *hebraeorum*.

1. Rabbi Isaaci Nathanis p. XVI
   Antonii Reuchlini translatio earum latina . . . XXI
2. Marii de Calasio . . . XXII
3. Iohannis Buxtorfii . XXIX
4. Christiani Noldii . . XXXIII
5. Ioh. Gottfr. Tympii . XXXVIII
6. Iulii Fuerstii . . . XLIII

II. Concordantiae Novi Testamenti *syriaci*.

Caroli Schaafii L

III. Concordantiae Bibliorum *graecorum*.

Euthalii Rhodii, Sugdoris LII

a. Concordantiae Veteris Testamenti graeci ex versione LXX Interpretum cum apocryphis LIII

1. Conradi Kircheri . . p. LIII
2. Abrahami Trommii . LVIII

b. Concordantiae Novi Testamenti graeci LXIV

1. Xysti Betuleii. . . p. LXIV
2. Henrici Stephani . . LXVIII
3. Erasmi Schmidii . . LXXVII
4. Car. Hermanni Bruderi LXXXI

IV. Concordantiae Bibliorum *latinorum*.

1. Concordantiarum Editio Ioh. Frobenii. Basileae 1516. Fol. . . . LXXXVII
2. Conc. Ed. eiusdem. Basileae 1521. Fol. XC
3. Conc. Ed. Seb. Gryphii. Lugduni 1545. 4º XCI

pag.
4. Concordantiae Rob. Stephani. Parisiis 1555. Fol. xcII
5. Conc. Ed. Io. Hervagii. Basileae 1561. Fol. xcvI
6. Conc. a Theologis Coloniensibus revisae. Coloniae 1663. Fol. . . xcvIII
7. Conc. nova methodo adornatae opera Patrum Monasterii Wessofontani. Augustae Vindel. 1751. Fol. xcIx
8. Conc. recensitae primum a Franc. Luca, denuo expurgatae ac locupletatae cura Hub. Phalesii. Viennae 1825. Fol. min. cII
9. Aliae Editiones et eiusmodi Opera cv

V. Concordantiae Bibliorum *germanicorum.*

1. Conradi Agricolae . p. cxII 2. Christiani Zeisii . . cxvII
3. Friderici Lanckischii p. cxxII

VI. Concordantiae Bibliorum *aliarum linguarum*

1. belgicae, . . p. cxxvII 4. francogallicae. . . . cxxIx
2. suecicae, . . cxxvIII 5. slavicae cxxIx
3. anglicae, . . cxxvIII

VII. Concordantiae Corani

Gustavi Fluegelii, Mirzae A. Kazem-Bek . . . cxxIx

C. De usu Concordantiarum cxxx

CONCORDANTIARUM HOMERICARUM

SPECIMEN

DUABUS VOCIBUS PROPOSITUM.

ΘΕΟΣ		ΘΕΑ	
θεός	p. 1	θεά	p. 17
θεοῖο	3	θεᾶς	20
θεοῦ	3	θεᾷ	21
θεῷ	4	θεάν	21
θεόν	4	θεαί	21
θεοί	5	θεάων	21
θεῶν	9	θεαῖς	22
θεοῖσιν	13	θεῇσιν	22
θεοῖσι	15	θεῇς	22
θεοῖς	15	θεάς	22
θεούς	16	θέαιναι	22
θεόθεν	17		
θεόφιν	17		

PROLEGOMENA.

Haud multis contigit cum Seneca[1] gloriari, sibi esse memoriam non ad complectenda tantum, quae velint, velocem, sed etiam ad continenda quae acceperit, et ii quoque, qui eximia gaudent memoria, ab eodem auctore[2] monentur, memoriam esse rem ex omnibus partibus animi maxime delicatam et fragilem, in quam primam senectus incurrat. Quapropter viri sapientes et eruditi de subsidiis cogitarunt, quibus memoria iuvaretur. Hac de causa Indices libris attexuerunt, quibus totius alicuius libri praecipua capita, quin immo etiam verba succincta brevitate et ordine concinno, veluti in tabula exhibentur, quorum ope, quod quisque in libro ipso legerit, facili negotio reperire et relegere possit.

DE INDICIBUS.

Indicis verbum apud veteres scriptores significat: *qui vel quod aliquid indicat,* e. c. Cic. Orator 18, 60. Nam ut imago est animi, vultus: sic indices oculi. Plin. Nat. Hist. 18, 19. Leonum animi index cauda, sicut et equorum aures; specialiter: *cognitorem et*

---

[1] M. Annaei Senecae Rhetoris opera Nic. Fabri, Andr. Schotti, Joh. Fred. Gronovii et al. commentariis illustrata. Tom. III. (Amstelodami 1672. 8.) Controversiarum lib. I. pag. 64: Nec ad complectenda tantum, quae vellem, velox erat mihi memoria, sed etiam ad continenda, quae acceperat.

[2] Ibid. p. 63: inter ea quae retuli, [scil. quae senectute desiderantur] memoria est, res ex omnibus partibus animi maxime delicata et fragilis, in quam primam senectus incurrit.

delatorem, e. c. Cic. in Catil. orat. IV. 3, 5. Haec omnia indices detulerunt. Iustin. 32, 2, 9. Ad postremum insidias sibi ab eo paratas confingit: ad cuius probationem immittit indices; *primum a pollice digitum*, quod eo indicare et ostendere aliquid solemus, e. c. Horat. Serm. II, 8, 25. 26. qui si quid forte lateret, Indice monstraret digito; *inscriptionem s. titulum libri*, e. c. Cic. epist. ad Attic. IV, 15, 9. Parantur orationibus indices gloriosi.[1] Liv. 38, 56. Index orationis P. Scipionis, nomen M. Naevii tribuni plebis habet. A serioribus nomini *indicis* afficta est significatio: *registrum* i. e. capita rerum et verba notatu digna, vel ordine, quo in libro tractantur, proposita, vel, ut nunc solent, alphabetico ordine disposita. Hac recentiori significatione, qua notat alphabeticam rerum vel verborum vel utrorumque, quae in libro quodam continentur, dispositionem seu registrum, h. l. voce *indicis* utimur.

Maximam horum Indicum esse utilitatem, nemo est hodie, qui ambigat. Si quis compendio scire cupit, quid quisque auctor tractaverit, si novisse lubet, num de hac vel illa materia aliquid notatu dignum habeat, si quid e memoria excidit, quod repetere placet, ad Indices confugit. Itaque quo praestantior, quo magis necessarius est aliquis liber, tanto quoque utilius, tanto magis necessarium est ipsi hoc auctarium.

Quam ob rem multae quoque auctorum classicorum editiones eiusmodi Indicibus praesertim verborum instructae sunt. Inter graecorum auctorum editiones hac de causa inprimis laudanda est haecce Euripidis:

Euripidis tragoediae, fragmenta, epistolae ex editione Iosuae Barnesii nunc recusa et aucta appendice observationum e variis doctorum virorum libris collecta. 3 Tomi. Lipsiae sumtu E. B. Suikerti MDCCLXXVIII 4°.

---

[1] Idem hac voce significatur in loco Cic. ad Attic. IV, 4: „iisque [scil. librariolis] imperes, ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Graeci (ut opinor) συλλάβους appellatis“ nam pro συλλάβους (registra) legendum esse σιλλύβους (fimbrias), post Graevium Ernestus in Clave Ciceroniana s. v. σίλλαβος ostendit.

Huius editionis Tomus III., quem curavit Christ. Dan. Beckius, continet Sam. Musgravii notas integras in Euripidem. Accedunt praeter lectionis varietatem scholia auctiora, commentationes et animadversiones virorum doctorum excerptae et index verborum copiosus.

Hic verborum index magna laude dignus, 375 paginas (scil. pag. 631—1005) complectens, continet plurima Euripidis vocabula alphabetico ordine disposita adscriptis locis, ubi in auctoris operibus leguntur, plerumque additis una pluribusve vocibus, quae ibi cum iis coniunctae sunt.

Similiter pluribus aliis auctoribus classicis indices verborum, quamquam minores, in quibusdam editionibus *annexi sunt*. De uno autem auctore, id quod scio, index verborum *seiunctim editus est*,[1] nempe hicce ad Homeri carmina pertinens:

> Index vocabulorum in Homeri Iliade atque Odyssea caeterisque quotquot extant poematis studio M. Wolfgangi Seberi Sulani.

qui primum prodiit Heidelbergae in bibliopolio Commeliano 1604. 4°, ac repetitus est Amstelodami 1649. 4°. Tum prodiit Editio nova auctior et emendatior Oxonii, ex typographeo Clarendoniano 1780. 8°, cui accessit

> Appendix ad Seberi Indicem. Sive, Index vocabulorum in fragmentis Homericis hymnisque in Cererem et Bacchum Oxonii, ex typogr. Clarend. 1782. 8°

Haec Editio nova, cuius etiam exempla in charta maiori exstant, recusa est Oxonii 1802. 8° et ibidem 1811. 8°.

Hic Index sic institutus est, ut singulis formis Homericorum vocabulorum alphabetico ordine dispositis adscripti sint omnes loci, ubi in Homeri carminibus inveniuntur, saepe etiam epitheta illarum vocum adiecta sunt, e. c. sub voce ἀνήρ multis locis sim-

[1] Lexica (s. Claves s. Thesauros) ad singulos auctores graecos et latinos pertinentia h. l. eam ob causam praetermitto, quod sunt generis ab hoc Indice Homerico plane diversi.

pliciter enumeratis afferuntur ii, in quibus illi voci adiuncta sunt epitheta: ἀεργός, ἀθεμίστος, ἀΐδηλος, αἰζήϊος et al., quae item alphabetico ordine sunt disposita. Praeter voces flexibiles etiam inflexibilium seu particularum magna pars in eo affertur, quarum vero pluribus non omnes loci Homerici, sed tantum multi adscripti sunt addita nota: *etc.* Ut hanc rem magis illustrem, duo utriusque generis exempla ex hoc Indice propono:

ἀοιδὴν ιλ. ν 731 οδ. α 351 γ 204 ubi al. πυθέσθαι ϑ 44. 499 μ 198 ubi et legitur ἀοιδῆς ω 196 V 20 XXIV 6 XXXVII 10 γλυκερὴν VI 59 ἡδεῖαν οδ. ϑ 64 θεσπεσίην ιλ. β 599 θέσπιν οδ. α 328 ϑ 498 III 441 ἱμερόεσσαν οδ. α 421 σ 303 IX 5 λιγυρὴν οδ. μ 183 μελίγηρυν II 519 XVIII 18 στονόεσσαν ιλ. ω 721

ἀοιδῆς ιλ. β 595 οδ. ϑ 429 φ 406 I 2 II 546 III 450. 577 V 21 IX 6 XII 3 XVIII 49 XXIV 7 XXVI 22 XXVII 18 XXVIII 14 XXIX 19 XXXII 19 λιγρῆς οδ. α 340

ἄρ ιλ. η 400. 433 ϑ 269 etc. ν 284. 307. σ 79. 252 ω 40. 42. 337. 623. 676 οδ. α 231 γ 22 etc.

αὐτόθεν ιλ. τ 77 υ 120 οδ. ν 56 φ 420 III 411

Litteris α — ω singulae Iliados et Odysseae partes, numero I. Batrachomyomachia, II. III et seqq. Hymni in Apoll., in Mercur. et sic deinceps ad finem usque denotantur.

Ab hoc Indice Homerico progredimur ad aliud genus *Concordantiarum* nomine insignitum, quod principio illi Indici erat simillimum, id quod cognoscitur ex iis, quae de origine et historia Concordantiarum latinarum referuntur in hocce opere: Scriptores Ordinis Praedicatorum recensiti, notisque historicis et criticis illustrati. Inchoavit I a c o b u s Q u e t i f, absolvit I a c o b u s E c h a r d. (2 Tomi Lutetiae Parisiorum 1719. 1721. Fol.) Tom. I. p. 203 sqq.

DE CONCORDANTIIS.

Concordantiae medio aevo inventae hoc mediae et infimae latinitatis nomine[1] insignitae sunt, quod significat collectiones omnium alicuius operis locorum, qui certe in una voce inter se *concordant* s. consentiunt, alphabetico harum vocum concordantium ordine dispositas, ita ut lector eiusmodi librorum ope omnes eius libri, ad quem pertinent, locos invenire possit, in quibus eadem vox legitur. Ex his elucet, tali libro studium operis, ad quod spectat, valde adiuvari. Quapropter operae pretium est, hanc rem utilissimam h. l. accuratius tractare.

A. DE CONCORDANTIARUM ORIGINE ET PROGRESSU.

In quaque re, quae magnum affert fructum, optimo iure quaeritur, quis sit eius inventor. Saepe hic omnino latet, aut hominum de eo iudicia inter se differunt. Quare non mirum videtur, quod etiam de Concordantiarum inventore variae proponuntur sententiae. A plurimis earum inventor nominatur Hugo de Sancto Charo vel de Sancto Theuderio s. Theoderio, a loco natali Viennae Allobrogum suburbio, gallice *Saint Chers* dicto, etiam Hugo de Vienna[2] a patria, et Hugo de sancto Iacobo[3] a Praedicatorum conventu Parisiensi, domo Sanjacobea illico memoranda, nuncupatus, qui Gallus fuit origine Viennensis, et Burgundus, quia illa provincia seu Delphinatus illius aetate in regno Burgundiae computabatur.[4]

---

[1] Vide Glossarium mediae et infimae latinitatis conditum a Carolo Dufresne Domino du Cange cum supplementis integris Monachorum Ordinis S. Benedicti, D. P. Carpenterii, Adelungii, aliorum suisque digessit G. A. L. Henschel. Tom. II. (Parisiis 1842. 4°) p. 514.

[2] Hoc nomine appellatur in catalogis codicum MS., in quibus eius Postillae recensentur.

[3] Sic dum Parisiis regebat, vulgo dicebatur, ut constat ex fine plurium eius commentariorum MS., in quibus sic nominatur.

[4] Eius vitam accurate descripsit et opera recensuit Jac. Quetif in opere supra laudato T. I. p. 194 sqq., quem h. l. omnino secutus sum.

Hic vir ingenio et virtute excellens Parisios iuvenis venit, emensisque philosophiae ac theologiae studiis, in sacra facultate baccalaureus admissus est, tum et iuri utrique operam dedit, quod etiam publice docuit. Anno 1225. 22. Febr. consilium instituti Praedicatorum amplectendi iam prius conceptum exsequens in domo Sanjacobea Parisiensi vestem induit et Dominici iugum subiit. Iam a. 1227 Franciae Provincialis dictus, et consiliarius ab episcopis et summis pontificibus in difficillimis, quae sua aetate acciderunt, negotiis ut vir solers et integer adhibitus est. Anno 1244. 28. Maii Innocentius IV. inter 12 cardinales, quos in aede S. Petri Romae creavit, Hugonem tituli S. Sabinae presbyterum cardinalem nominavit, eoque deinceps ut viro industrio ac intrepido ad graviora ecclesiae negotia usus est. Mortuo postea anno 1250. Friderico II. imperatore Hugo anno sequenti 19. April. cum Guilelmo Hollando legatus in Germaniam missus est, ut ecclesiae iura in illis regionibus tueretur, quod magno animo et intrepido ubique implevit. Alexandro IV., Innocentii successori, non minus carus fuit et acceptus. Romae mortuus d. 19. Martii 1262. (styli veteris), ibique sepultus est, postea eius corpus ex priori sepulcro Lugdunum translatum est.

Opera eius sunt: 1. Sacra Biblia recognita et emendata, id est a scriptorum vitiis expurgata additis ad marginem variis lectionibus codicum MS. Hebraeorum, Graecorum et veterum Latinorum codicum aetate Caroli Magni scriptorum. (Huic operi desudabat circa annum 1236.) 2. Sacrorum Bibliorum Concordantiae. 3. Postillae in universa Biblia iuxta quadruplicem sensum literalem, allegoricum, moralem, anagogicum. Praeterea decem alia opera a Quetifio recensita scripsit.

Ad Bibliorum Concordantias inveniendas atque elaborandas ansam ei dederunt Postillae. Cum enim Biblia suis commentariis seu postillis dilucidare aggrederetur, clare vidit, quam esset necessarium, omnes locos, in quibus eadem vox iteratur, in promptu habere, ut iis collatis, quis quoque loco legitimus esset idem vel alius sensus, perpendi posset. Id vero perspiciens nunquam asse-

quendum nisi ope indicis vocabulorum omnium accurati, ad eum conficiendum se accinxit, pluresque sodales, qui opus ipsismet adeo utile futurum secum elaborarent, facillime invenit.

Ut quaeque vox in citato libri biblici capite facilius a lectore reperiatur, Hugo primus divisit omnia librorum sacrorum capita non solum longiora, sed etiam breviora in septem partes, quas septem prioribus alphabeti litteris a, b, c, d, e, f, g. distinxit, ut lector ex hac littera numero capitis in Concordantiis adscripta cognoscat, in quanam capitis parte quaedam vox quaerenda sit. Hugonem huius quoque distinctionis consilio suo valde accommodatae esse inventorem, Quetif eo convincit, quod ante annum 1230 nullus proditur auctor, qui librorum sacrorum capita per priores alphabeti litteras distincta citet; post illum vero annum plures inveniuntur, qui Scripturae sacrae locos ita citant. Sed monendus est lector, cum audit capita Bibliorum per septem priores alphabeti litteras distincta, ne litteras illas existimet in Bibliis MS. ad quodque caput unquam appositas, immo nec in primis typo expressis id factum est. Itaque quamvis in Concordantiis sic distinguerentur, sola tamen mentis acie (intellectualiter) et oculorum intuitu illa distinctio in capite quaesito fiebat.

Harum autem primarum Concordantiarum, quas Hugo invenit, ratio haec est. Vocabulum quaesitum semel tantum ponitur, tum ei subiiciuntur loci omnes, in quibus reperitur, liber, caput libri et pars capitis distincta per a, b, c, d, e, f, g. Sed praestat huius rationis specimen ob lectoris oculos ponere, quaedam referendo vocabula. Quaelibet pagina per quatuor aut quinque columnas est distincta.

Aaa
Ierem. I. c. XIV. d.
Ezech. IV. f. XXI. b.
Ioel. I. f.

Tenebrae
Gen. I. a.
Deut. IV. b. V. f. XXVIII. d.
Ios. II. b. XXIV. b.
II Reg. XXII. b. d.
IV Reg. VII. b.
II Esd. IV. c.
Thob. IV. d. V. d.
Iudith. IX. c.
Esther XI. e. etc.

UNIGENITUS	Ioan. I. b. III. d.
Gen. XII. a. d. f.	Heb. XI. d.
Prov. IV. a.	I. Ioan. IV. c.
Ier. VI. g.	UNIGENITA FILIA
Amos VIII. f.	Iud. XI. f.
Zach. XII. f.	

Quod vero dixi vocabulum semel poni tantum in capite ut supra, ita intelligas, ut, cum vocabuli adiunctum aliquid specialius significat, etiam vocabulum pluries iteretur. Sic vocabulum *Terra* infinities repetitur, *Terra Iuda*, *Terra Moab*, *Terra Australis*, *Terra Aquilonis*, *Terra peregrinationis*, *Terra aliena*, *Terra alienigenarum*, *Terra inimicorum*, *Terra horribilis* etc. innumera: sic etiam *Tempus* primo simpliciter et sine addito, postea *Tempus partus*, *Tempus pariendi*, *Tempus nativitatis*, *Tempus senectutis*, *Tempus meridianum*, *Tempus abundantiae*, *Tempus pluviae* etc. longe plura; sic etiam particula *velut*, *velut arena*, *velut inquinamentum*, *velut foenum*, *velut somnium*, *velut nubes*, *velut fistula* etc. plura. Cuius ultimi vocabuli *(velut)* occasione annotavi, quod sibi persuaserunt quidam in iis Concordantiis primis voces indeclinabiles omissas fuisse, non esse usquequaque verum, omnes enim alicuius momenti adsunt v. g. *olim*, *quasi*, *sicut*, *propter*, *absque* et similes.[1]

Hae primae Concordantiae, quae vocantur *Concordantiae S. Iacobi* propter Praedicatorum conventum Parisiensem, domum Sanjacobeam, ubi Hugo eas concinnavit, breves erant, quia vocabulum fere semel tantum ponebatur, tum loci, in quibus reperiendum erat, soli sub eo indicabantur.

In eo statu Concordantiae perstiterunt usque ad annum 1250 circiter; tum vero cum eiusmodi operis utilitatem fratres illius conventus

[1] Ex his, quae ipsius Quetifii verbis attuli, cognoscitur, primarum Concordantiarum Scripturae sacrae rationem omnino eandem esse, quam serius Seberus in Homerico suo Indice, de quo supra dixi, persecutus est.

Parisiensis in dies experirentur, illud tamen videretur incommodi, quod semper evolvenda esset Scriptura sacra, ut quid hoc vel illo loco scriptum esset agnoscerent, quibusdam visum est longe utilius fore, si ad quemque locum indicatum vocabuli quaesiti adiuncta seu voces quaedam aut antecedentes aut subsequentes iungerentur; sic enim ob oculos primo intuitu posita loci sententia, quid cuique opus esset in promptu haberent:. idque haud difficile erat; nam cum in Concordantiis illis primis loci iam indicati essent, restabat solus ad quemque locum addendarum et scribendarum sententiarum labor. Hunc autem libenter sibi assumserunt sodales in gymnasio Sanjacobeo theologiae operam dantes, potissimum Angli, inter quos inprimis Ioannes de Derlington,[1] Ricardus de Stavenesby[2] et Hugo de Croyndonio huic labori incubuerunt.

Hae circa annum 1252. ab Anglis gymnasii Sanjacobei collegis compositae Concordantiae *maximae* (quarum certe quaedam exempla in quatuor volumina erant distincta) propter earum auctores nominantur *Anglicanae*, item propter illum conventum, ubi aeque ac priores breves compilatae sunt, Concordantiae *sancti Iacobi*. In his quoque ut in primis Hugonis omnia Scripturae sacrae capita breviora non secus ac longiora per septem priores alphabeti litteras distinguuntur, id quod lector ex hisce speciminibus cognoscet:

---

[1] Eius vitam descripsit Quetif l. l. T. I. p. 395 sq. Hic Anglus, Praedicatorum ordinem amplexus in patria, postquam aliquot annos apud suos studiis operam dederat, Lutetiam pro rata suae provinciae ad gymnasium Sanjacobeum missus est, ubi iam agebat ante annum 1250 et quibusdam annis stetit. Exinde in Angliam reversus, non parvam sibi eruditione famam comparavit. Mortuus est Londini 29. Mart. 1284.

[2] Hic in gymnasio Sanjacobeo iam agebat circa 1250 cum F. Hugone de Croyndonio, gentili suo et collega, teste Quetifio l. l. T. I. p. 209.

Aaa.

Ierem. I. b. Aaa Domine Deus ecce nescio loqui quia puer ego sum.
XIV. d. Aaa Domine Deus prophetae dicunt eis non videbitis gladium, et fames in vobis non erit.
Ezec. IV. f. Aaa Domine Deus anima mea non est.
Iohel. I. f. Aaa diei quia prope est dies Domini.

Aaron.

Exo. IV. c. Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit.
g. Dixit Dominus ad A. vade in occursum Moysi in desertum.
VII. a. A. frater tuus erit propheta tuus.
XVII. f. A. et Hur sustentabant manus. etc.

Ad finem vocabulorum huius litterae A legitur eodem charactere: *Explicit littera A, quam perfecit Frater R. de Stavenesby.*

Cum autem haec altera Concordantiarum forma videretur prolixior et volumina maioris molis exquireret, non augmento aliquo, non locupletatione ulla, sed resectione potius visa est indigere, ac praeterea inter capita breviora et longiora discrimen habendum, haec quidem ut antea septem prioribus alphabeti litteris, illa vero quatuor tantum discernenda. Qui hanc mutationem suscepit, lectores etiam de hac re monere voluit hacce praefatiuncula:

„Cuilibet volenti requirere concordantias in hoc libro, unum est primitus attendendum, videlicet quod cum in primis concordantiis, quae dicuntur concordantiae sancti Iacobi, quodlibet capitulum in septem particulas distinguatur, secundum septem primas literas alphabeti videlicet a, b, c, d, e, f, g. In isto opere per eumdem modum et in totidem particulas distinguuntur capitula longiora in septem partes aequales, capitula vero breviora tantum in partes quatuor distinguuntur, videlicet in a, b, c, d, ut breviori capitulo in quatuor partes aequales diviso, a. primam contineat partem: b. vero secundam quae a principio recedat, et usque ad medium protendatur: c. vero recedat a medio, et partem tertiam contineat capituli brevioris: d. vero post tertiam partem usque in finem capituli protendatur.“

Haec praefatiuncula in Concordantiis seculo XIII. vergente MS. et vulgatioribus deinceps factis, tum in primis ad seculum usque

XVI. adultum, id est ad 1526 forte et ultra impressis constanter legitur, ex quo consequitur, hanc tertiam formam resectam quoad sententias in Anglicanis longiores, et leviorem redditam ita placuisse, ut deinceps ab omnibus excepta sit et ubique multiplicata. Eius formae concinnator a pluribus, etiam a Quetifio iudicatur eiusdem Praedicatorum Ordinis sodalis Conradus Alberstatensis senior[1] vel Conradus de Halberstat nuncupatus, qui sub finem seculi XIII. florebat, et anno 1321, vir iam gravis in capitulo generali Florentiae suae provinciae Saxoniae diffinitor sedit.

Concordantiarum huius generis titulus est: *Concordantiae maiores, cum declinabilium, utriusque instrumenti, tum indeclinabilium dictionum.* Ut lector cognoscat, quomodo Concordantiae huius tertiae formae ab illis Anglicanis prolixioribus et verbis allatis et capitum divisione differant, eadem specimina, quae supra ex illis attuli, ex his itidem exhibeo, secundum editionem Basileensem anni 1521. Fol. infra recensendam:

Aa

Hiere. 1. b. Aaa domine deus ecce nescio loqui.
14. b. prophete dicunt eis.
Ezech. 4. d. domine deus anima mea non est.
20. g. domine deus ipsi dicunt.
Iohel. 1. d. diei: quia prope est dies domini.

Aaron

Exo. 4. c. egredietur in occursum.
7. a. erit propheta tuus.
17. d. et hur sustentabant manus. etc.

[1] Eius vitam descripsit Quetif l. l. T. I. p. 610 sq., ubi etiam de altero eiusdem nominis iuniori disserit. — Eodem Quetifio teste exstat vetus harum Concordantiarum in ipsis typographiae incunabulis editio absque loco, anno vel nomine typographi, quarum exemplum fol. max. Parisiis in Eremitarum Augustinianorum bibliotheca ipse vidit, ad cuius calcem sic legitur: *Fr. Conradi de Halberstat*, cuius forte nomen in codice MS., quem excipiebant editores, sic inscriptum invenerunt.

In eodem statu Concordantiae ab anno 1300 ad concilium Basileense (1430.) remanserant; tum autem eximio ordinis Praedicatorum sodali, Ioanni de Ragusio,[1] qui primum Basileae in ipsa synodo cum Bohemis de particula *nisi*, deinde Constantinopoli, quo a synodo legatus missus erat, cum Graecis de particularum *ex* et *per* vera notione acres habuerat concertationes, in mentem venit, particulas omnes indeclinabiles Scripturae sacrae, quae in Concordantiis supra relatis omissae erant, colligendas esse, ut facta locorum collatione, quid ubique significent, certius cognosceretur. Ioannes de Secubia, Hispanus, Theologiae Doctor, Canonicus Toletanus, qui et ipse in synodo praesens fuerat, in Prologo huic novo operi praefixo eam rem sic narrat:

„— — Ipsis igitur dictionibus indeclinabilibus, quarum significatio propria tunc inquirebatur, aliisque omnibus non tam in novo quam in veteri testamento, cum hoc maioris sit continentiae, multiplicatis occasio praestita est, ut perscrutatio fieret de omnibus, praeterquam de adverbiis descendentibus ordinarie a nominibus et participiis. Quod quidem Ioannes ipse [Ragusinus] praeter dictionem *non* et ex minus numerosis quasdam paucas, per semetipsum non fecit, sed in statu constitutus per capellanum suum Galterum Ionau Scotum magistrum in artibus theologiaque instructum. Qui primo unum composuit volumen absque ordine alphabetico, sed prout ordine scripturae in libris Bibliae reperiebantur, abinde partes plures excerpens iuxta initia et numerum dictionum non utique omnium. Nam quibusdam earum in quovis capitulo multiplicatissime repertis, una vel duae pro singulo capitulo annotatae sunt. Maiori autem parte in tribus fere annis per illum completa, post eius recessum per alios duos consequenter finis operi est accommodatus, ad eam casu suo opere isto servienti utilitatem, ad quam dictus liber servit concordantiarum. — —“

Itaque Ioannes Ragusinus novi istius vocum indeclinabilium

[1] Sic dictus est a patria, nam Ragusinus Epidaurensisve et Dalmata origine fuit. Mortuus est 1444. Eius vita a Quetifio descripta legitur l. l. T. I. p. 797 sqq.

indicis non quidem per se ipsum, quippe qui maioris momenti negotiis implicatior erat, sed per amanuenses suos primus et certus est auctor. Quod opus summo illorum labore confectum cum accepisset Ioannes de Secubia ordine alphabetico distribuit, et prologo, cuius partem mediam modo attuli, praefixo in lucem dedit. Primus typis commisit Sebastianus Brant Germanus anno 1496. Frobenio typographo usus. Hoc opus inscriptum est: *Concordantiae partium sive dictionum indeclinabilium totius Bibliae.*

Ex hac Concordantiarum historia hucusque, Quetifio duce, proposita elucet:

1. Hugonem de sancto Charo primum eas aggressum esse et ope suorum sodalium perfecisse locis tantum indicatis;
2. Ioannem de Derlington, Ricardum de Stavenesby aliosque Anglos sodales eas auxisse ad locos indicatos adiectis sacrae Scripturae sententiis, sed plerumque longioribus;
3. Conradum de Halberstat tertiam earum formam suscepisse brevioribus capitibus per quatuor tantum litteras distinctis et sententiis Scripturae sacrae ex parte recisis, et sic commodiorem levioremque reddidisse;
4. Ioannem de Ragusio particularum indeclinabilium in prioribus omissarum alteras Concordantias tentavisse et ope amanuensium perfecisse,

quorum operum tria priora seculo XIII., quartum seculo XV. circiter medio confecta sint.

Denique Quetif l. l. T. I. p. 207 refellit eos, qui dicunt Antonium de Padua ordinis Minorum eiusmodi Concordantias collegisse. Utique *Concordantias morales* concinnavit, quae vero ab illis omnino differunt; exhibent enim locorum sacrae Scripturae collectionem iuxta vitia et virtutes digestorum, non vocabulorum indicem alphabeticum.[1] Praeterea diluitur error eorum, qui putant, Arlottum

[1] Hae Concordantiae, teste Mart. Lipenio in Bibliotheca reali theologica Tom. I. p. 385., prodierunt sic inscriptae: Ant. de Padua Concordantiae Morales SS. Bibliorum cum Annot. Romae 1623. 4.

de Prato, Tuscum eiusdem ordinis Minorum, veteris et novi Testamenti Concordantias in unum comportasse.

Cum horum operum magnus fructus magis magisque eluceret, alii viri docti commoti sunt, ut eadem commoda, quae illi Bibliis Vulgatae editionis Concordantiis suis praestiterant, etiam Bibliis graecis et Veteri Testamento hebraico eiusmodi operibus praestarent. Nam Euthalius Rhodius, monachus S. Basilii, Sixto Senensi teste in Bibliotheca sancta lib. IV. p. 286.,[1] collegit graeco sermone opus Concordantiarum totius Bibliae, ad imitationem Hugonis Carensis, anno Domini 1300. Has Concordantias graeca manu descriptas ille ipse vidit Romae in antiquis membranis, id quod l. l. p. 312 testatur. Typis hoc opus nunquam est evulgatum. Post eum hucusque nemo exstitit, qui in tota Biblia graeca Concordantias elaboraverit atque ediderit, sed alteri solum Novum Testamentum graecum sibi elegerunt, ut Xystus Betuleius, Henricus Stephanus, Erasmus Schmidius, Car. Herm. Bruderus, alteri solum Vetus Testamentum graecum LXX. Interpretum cum eius Apocryphis, ut Conrad. Kircherus, Abraham. Trommius, de quibus infra dicemus.

Seculo XV. latinis Concordantiis incitatus est Rabbi Isaac Nathan,[2] ut Concordantias hebraicas elaboraret. Nam in prae-

[1] Utor huius operis ultima editione sic inscripta: Bibliotheca sancta, a F. Sixto Senensi Ordinis Praedicatorum, ex praecipuis catholicae Ecclesiae Auctoribus collecta, et in octo libros digesta. Ab eodem auctore — recognita, aucta. — Postmodum a Ioanne Hayo Scoto, revisa, Scholiisque illustrata. Ultima demum hac editione auctorum recentiorum accessione locupletata etc. Coloniae Agrippinae 1626. 4⁰.

[2] Rabbi Isaac Nathan, ר׳ יצחק נתן sic se ipse appellat in sua praefatione, a quibusdam vocatur ר׳ מרדכי נתן Rabbi Mardochai Nathan atque ita etiam in prima editione Venetiis excusa, in titulo Concordantiarum, non in priore quidem titulo generali, sed in altero, quae ipsis Concordantiis proxime praecedit. De hac nominum diversitate longius disserit Ioh. Buxtorfius in Concordantiarum suarum praefatione. Quidam ex duplici nomine colligunt duos diversos fuisse ipsius operis auctores, unum R. Mardochai, alterum R. Isaac Nathan.

fatione sua ipse narrat, se iuvenili aetate, quamquam Christianorum disputationes de religione et fide sua fugisset, quotidie a quibusdam parvulis superbe provocatum esse, ut ad ipsorum argumenta responderet; tum se inter eorum libros invenisse librum quendam, quem lingua sua vocarent Concordantias Biblicas, cuius ope omnem lapidem contra se proiectum repulisset; hanc ob causam se eius translationem in linguam hebraeam sibi proposuisse. Ex quibus intelligitur, Nathanem primum Concordantias latinas hebraice convertere statuisse; sed cum eas ob interpretationem latinam sibi non constantem Hebraeis minus profuturas crederet, novo labore ex hebraico textu Concordantias elaboravit, capitum divisione, quam in latinis inveniebat, retenta, additis vero de suo commatibus. Auctor in suae praefationis fine indicat, se hoc opus incepisse anno 198 (secundum supputationem minorem, scil. omisso numero millenario, i. e. anno mundi 5198, qui est annus post Christum nat. 1438), et finiisse anno 208 (i. e. a.m. 5208., anno Chr. 1448).[1] Neque tamen hoc decennii spatio tantum opus solus perfecit, sed plurium scriptorum operâ ea in re usus est. Hunc

Ita iudicat Reuchlinus in praefatione Capitum Concordantiarum, et Angelus a Sancto Romulo in praefatione, quam Concordantiis Marii de Calasio praefixit, ubi haec scribit: „Alias [scil. Concordantias] edidit Hebraice Isaac Nathan Iudaeus Venetiis, typis Iustinianis, postea auctas dedit R. Mardochaeus Basileae.“ Aliquot Iudaei de hac re consulti sententiam proposuerunt: unum eius operis fuisse auctorem, sed binominem, quod in gravi quodam morbo, quo in concinnando illo opere correptus fuit, nomen mutaverit. Ita ergo fieri potuit, ut, qui prius Mardochai Nathan appellatus fuit, post recuperatam valetudinem Isaac Nathan vocari voluerit, nomine videlicet illo novo in morbo assumpto. Nam expresse ita se ipse appellat. Mardochai autem vocatur in titulo, qui ab ipso non videtur esse compositus.

[1] Sic recte etiam Buxtorfius in praefatione Concordantiarnm suarum scripsit; Io. Christoph. Wolf in Bibliotheca hebraea Tom. I. p. 680. et Iul. Fuerst in Bibliotheca iudaica P. III. p. 22. falso referunt, hoc opus anno mundi 5205, anno Christi 1445 esse finitum, in quem errorem eo ducti sunt, quod numerum ר״ח (i. e. 208), qui in ipso opere clare legitur, permutarunt cum ר״ה (i. e. 205).

virum de Bibliorum studiis illo opere optime meritum alii secuti sunt, quorum opera in subsequenti capite recensebimus.

B. RECENSIO CONCORDANTIARUM EDITARUM SECUNDUM LINGUAS QUIBUS SCRIPTAE SUNT DISPOSITARUM.

I. Concordantiae Bibliorum hebraeorum.

1. Rabbi Isaaci Nathanis.

Isaac Nathan[1] Concordantiarum opus, quod, ut modo diximus, ad exemplum quidem latinarum, sed novo labore ex hebraico Veteris Testamenti textu, annis 1438—1448 exaraverat, inscripsit: מֵאִיר נְתִיב הַנִּקְרָא קונקורדאנשייש (i. e. illuminans viam, nominatum Concordantiae),[2] eique longiorem prologum (פְּתִיחָה) praefixit. Hoc opus prodiit primum Venetiis apud Dan. Bombergum anno mundi 284 (i. e. anno Christi 1524.) Fol. sub hoc titulo:

מאיר נתיב הנקרא קונקורדאנשייש
למה שראינו כלי חפץ מקיף כל קטרי המכתב
הקדוש בשמות ובפעלים לעמוד על מרון הלשון
המקודש ושמושיו ושרשיו ולמצוא בנקלה הפסוק
הנרצה ומוצאו ומובאו וראינוהו הכרחי ורב
התועלת לדורכי במשעולי החכמות
לצבא צבא לכל עבודת הקדש
אמרנו להדפיסו בנחיצה
במצות השר דניאל
בומבירגי יצ״ו
שנת רפ״ד
לפ״ק
וחפץ ה׳ בידנו יצלח אמן:

בויניציאה

---

[1] Fuerstius in Biblioth. iudaica P. III. p. 22 huius viri genealogiam patriamque sic affert: Is. Nathan (b. Kal. b. Ieh. b. Sal. [i. e. filius Kalonymi Nathan, nepos Iehudae N., pronepos Salomonis N.] *in der Provençe*). — Ibid. p. 23 alii quinque libri eiusdem auctoris recensentur.

[2] In praefatione sua auctor appellat hoc opus: נְתִיבוֹת עוֹלָם (semitae mundi) et אוֹר זָרוּעַ (lux sata), vide Wolfii Biblioth. hebr. T. I. p. 681. T. III. p. 607., Fuerst l. l. P. III. p. 22 sq.

Hic titulus, cuius prima linea typis hebraicis mediae magnitudinis, duodecim sequentes rabbinicis minoribus, extrema, locum (Venetias) indicans, typis hebraicis maioribus exscriptus est, verbis Psalmi 19, 8. 9., quae iisdem maioribus typis hebr. exscripta sunt, ita cinctus est, ut prior media pars versus 8.: תורת יי' תמימה משיבת נפש supra titulum, altera media pars huius versus: עדות יי' נאמנה מחכימת פתי ad sinistram, a summo ad imum; priora quatuor verba versus 9.: פקודי יי' ישרים משמחי infra titulum typis inversis, reliqua eiusdem versus verba: לב מצות יי' ברה מאירת עינים ad dextram, ab imo ad summum, legantur.

Hic titulus cum verbis eum cingentibus includitur figuris ligno incisis arcum triumphalem vel simile aliquid depingentibus, in cuius superiore parte legitur extrema pars loci Ies. 2, 3. typis rabbinicis valde minutis exscripta, in duas lineas distributa: כי מציון תצא תורה|ודבר יי' מירושלים — Pagina huius folii aversa vacat. Septem folia subsequentia continent Prologum typis hebraicis exscriptum, qui incipit ab hac inscriptione: פתיחת מאיר נתיב לחכם האלהי רבי יצחק נתן זצל. In hoc Prologo auctor operis sui originem rationemque explicat, et (fol. 5—7.) proponit Indicem, in quo cuiusque libri Vet. Test. capita secundum eorum numerum et verba, a quibus quodque orditur, addito numero versuum cuiusque capitis indicantur; praeterea (fol. 8[a]) enumerat voces in Concordantiis deficientes. Haec prima octo folia, titulum generalem et prologum continentia carent signaturâ. Reliqua 397 folia inferiore parte numeris 1—50 ita signata sunt, ut numerorum 1—49 quique fasciculum octo foliorum complectatur, quorum quatuor priora iuxta fasciculi numerum a sinistra numeros I II III IIII habent, reliqua quatuor folia neutrum numerum exhibent; ultimus autem numerus 50 tantum quinque folia contineat, quorum tria priora praeter hunc fasciculi numerum numeris I II III a sinistra signata sunt. Superiores foliorum numeri in hoc opere omnino desunt.

Horum 397 foliorum, quae Concordantias ipsas continent, primum (quod inferiore numero I 1 propter titulum caret) exhibet

hunce Concordantiarum titulum alterum, solis typis hebraicis exscriptum:

ספר יאיר נתיב הנקרא בלעז

קונקורדאנסייש שחיבר הפילוסוף האלהי
החכם ר׳ מרדכי נתן נדפס במצות
דניאל בומבירגי מאנבירשא
שנת רפ״ג לפ״ק

בויניציאה[1]

Pagiña huius folii aversa vacat. Sequentes paginae omnes in quatuor columnas sunt divisae, quarum prima ad dextram, quarta ad sinistram extrema est. Singula vocabula textus hebraei, tituli librorum biblicorum et loci ex iis allati, in quibus illa vocabula inveniuntur, typis hebraicis minoribus, interpretationes autem illis vocabulis primo loco adiunctae typis rabbinicis minoribus exscriptae sunt. Haec de typographica huius operis ratione praenotanda esse censui.

---

[1] Hic alter titulus differt 1) a priore generali praeter alia *anno*, quo hoc opus typis exscriptum sit; in hoc enim titulo indicatur שנת רפ״ג לפ״ק i. e. anno 283 secundum supputationem minorem (qui est annus Christi 1523), in illo autem legitur: שנת רפ״ד לפ״ק i. e. anno 284 secundum supputationem minorem (qui est annus Christi 1524); haec vero diversitas annorum facillime eo explicatur, quod ille alter titulus annum indicat, quo opus in typographia inceptum, titulus generalis autem, qui, sicuti usitatum est, postremo typis exscriptum est, annum, quo opus finitum est. Hoc eo confirmatur, quod etiam in ultima linea postfatiunculae huic operi in fine annexae idem annus רפ״ד (1524) significatur. Eadem annorum varietas etiam in aliis libris occurrit, e. c. in ultima editione germanicae translationis Bibliorum, quam auctor ipse Lutherus a. 1544—1545. Witebergae curavit, de qua nuper in libro ad solemnia semisecularia Academiae nostrae edito scripsi. Praeterea hic alter titulus differt 2) ab inscriptione prologi alioque eius loco extremo, ubi leguntur: ואני יצחק נתן (i. e. et ego Isaac Nathan), *nomine auctoris*, qui hîc nominatur Mardochai Nathan, in prologo autem Isaac Nathan; de huius differentiae explicatione iam supra p. XIV sq. in annot. 2. dixi.

Has Concordantias hebraicas auctor contexuit ex vocibus tantum flexilibus et appellativis, omissis, propter infinitam propemodum multitudinem, nominibus propriis et particulis indeclinabilibus. In flexilibus autem vocibus, scil. nominibus et verbis opinatur vix ullos locos omisisse aut certe perpaucos.[1]

Methodus harum Concordantiarum est eadem ac latinarum, quas imitatus est. Sub prima radice, quae tribus litteris ut plurimum constat, (nam quadrilitteras ad finem cuiusque litterae reiecit) coniungit promiscue omnia ab illa radice provenientia, verba, participia, nomina omnesque illorum formas secundum ordinem librorum biblicorum. Ante omnia autem radicis significationem verbis hebraeis exponit, ac si plures significationes habet, illas indicat additis litteris א, ב etc. tanquam significationum numeris, et singulas seorsim pertractat. Ubi tamen observandum est, ipsum in distinguendis radicibus non ita accuratum fuisse; sed diversas saepe formas confudisse, id quod ipse in fine praefationis suae testatur. Hac ratione contra omnem linguae analogiam et proprietatem multas radices confudit. Praeterea non raro unum idemque vocabulum, seu unum eundemque locum vel in diversis unius radicis significationibus, vel etiam in diversis radicibus recensuit, idque propter interpretum varietatem, quod ab uno hac, ab alio alia significatione explicatur, ab hoc ad istam, ab alio ad aliam radicem refertur. Librorum biblicorum ordinem, item capitum biblicorum distinctionem eam retinuit, quae in Bibliis latinis Vulgatae editionis est observata. Hodierna enim capitum distinctio olim in Codicibus hebraeis, Buxtorfio teste, in usu non fuit, sed ex Bibliis latinis introducta.

Hoc opus finitur in antica extremi folii pagina, annexa post-

---

[1] Ad hoc auctoris de opere suo iudicium Buxtorfius in praefatione suarum Concordantiarum annotavit: „At vero non tam paucos, ut ipse arbitratus est, omissos esse versus, docebit Catalogus locorum integrorum omissorum in calce huius operis, quorum restitutione absolutiores nostrae Concordantiae sunt redditae.“

fatiuncula 9 lineas complectente, typis rabbinicis exscripta; altera huius folii pagina vacat.

Ut auctoris methodus clarius intelligatur, addo tanquam specimen principium primae columnae harum Concordantiarum:

אות האלף

אבב ממנו נפרדו שני ראשים
מתחלפי המבטא והמובן
א מה שהיה הנרצה ממנו עין
או פרי או צמח.

איוב

עודנו באבו לא יקטף ח יב

שיר השירים

לראות באבי הנחל ו יא
ב מה שהרצון בו השבולת
העולה בקנה אחת.

שמות

כי השעורה אביב ט לא
היום אתם יוצאי׳ בחדש
האביב יג ד
למועד חדש האביב כג טו
למועד חדש האביב כי בחדש
האביב לד יח

ויקרא

אביב קלוי באש גרש כרמל ב יד

דברים

שמור את חדש האביב כי בחדש
האביב יו א

יחזקאל

תל אביב ג טו

Post hanc *primam* editionem modo descriptam[1] hoc opus *iterum* prodiit *Venetiis* anno 324 (anno Chr. 1564) Fol. apud Laur. Bragadin. auspiciis Arnaldi Ferrerii Parisini, Magistratus Praesidis, cura Meir Franzoni (ben Jakob), edente Maggio Parentino, qui in praefatione haec refert: „Ego hunc librum meis typis et emendatiorem et portatu paratuque faciliorem pulcherrimo characterum genere in communem usum excudendum curavi, ita ut in hac librorum inopia non impressionem tantum repraebere, sed totum opus de integro quasi novum edere mihi viderer.“[2] — *Tertio* correctius prodiit *Basileae* a. 341. (a. Chr. 1581) Fol. apud Ambros. Frobenium, una cum Aharonis Pesaro תּוֹלְדוֹת אַהֲרֹן (generationes Aharonis) i. e. Indice locorum Scripturae, qui in Talmude Babylonico citantur et explicantur, notatis Codicibus, eorumque capitibus, foliis et columnis, in quibus

---

[1] Haec editio in Bibliotheca Mariana Halensi asservatur.
[2] Vide Wolfii Biblioth. hebr. T. III. p. 607.

singuli exstant.[1] Wolfius l. l. I. p. 681. annotavit: „Vidi ego editionem anni 341, Chr. 1581, cuius titulus prae se ferebat *Parisiorum* nomen: editionem ipsam tamen a *Basil.* non puto diversam; deest tamen תולדות אהרון, quamvis in praemonitione promittatur, sicut et in *Basil.* exstat.“

Fortasse easdem Nathanis Concordantias continent Codices MSS., quorum Iac. Le Long in Bibliotheca sacra (Parisiis 1723. Fol.) p. 454. et Wolfius l. l. I. p. 683. III. p. 608 mentionem fecerunt.

Hoc Nathanis opus Anton. Reuchlinus in linguam latinam vertit. Haec translatio a. 1556 prodiit sic inscripta:

Concordantiarum Hebraicarum capita quae sunt de vocum expositionibus a R. Mardochaeo Nathan conscripta et Latine translata per Antonium Reuchlinum. Basileae ap. Henric. Petri. 1556. Fol.[2]

De hac translatione Buxtorfius in praefatione suarum Concordantiarum sic iudicat: „Reuchlini interpretatio est vitiosissima et innumeris scatet erroribus, ubi mentem authoris non est assecutus praeterquam quod in ea textus Hebraeus corruptissime est punctatus.“

Eadem capita lingua latina descripta sunt a Nic. Fullero, cuius versio nunquam in lucem edita est, sed in Bibliotheca Bodleiana cod. 2970. propria ipsius manu exarata servatur, teste Pocockio in praefat. comment. in Ioelem.[3]

---

[1] Vide Wolfium l. l. I. p. 129. — Easdem tres editiones breviter recensuit Fuerstius in Bibl. iud. III. p. 22 sq.

[2] Vide Le Long l. l. p. 454. et Wolfium l. l. I. p. 682.

[3] Vide Le Long l. l. p. 454. — Idem p. 455 memorat hasce Concordantias: „Concordantias Bibl. Hebraicorum Gregorio XIII. P. M. nuncupasse Bernardinum a Monte Calv. (qui floruit 1580.) Oldoinus scribit columna 34. volum. 4. Vitae summ. Pontif. in additionibus. — Concordantiae Bibliorum Hebraeo-Germanicae, literis Hebraicis per R. Anschel. 4° Cracoviae 312. (1552.) 344. (1584.)“ At harum Concordantiarum priores Calasii esse videntur, quippe quae Bernardi-

2. Marii de Calasio.

Marius de Calasio, ita cognominatus ab oppido natali, quod inter Samnitum montana non longe distat ab Aquila civitate, humili, sed honesto genere natus, adolescens Francisci instituto nomen dedit. Expletis tirociniis, artium liberaliorum et theologiae curriculis, addiscendae linguae hebraicae totus incubuit. Tantos in hoc studii genere fecit progressus, ut Paulus V. Pontifex eum generalem linguae hebr. magistrum Romae instituerit, Doctorisque privilegiis et titulo decoraverit. Obiit septuagenarius et ultra, d. 24. Ianuarii 1620. Claruit sub Rudolpho, Matthia et Ferdinando Imperatoribus. Scripsit Grammaticam ad hebraicam linguam addiscendam, Dictionarium hebraicum, et hasce Concordantias hebraicas, quas Paulus V. post auctoris obitum accurate edi praecepit, et Benigno Genuensi, Minorum Generali Ministro, hanc curam tanti operis edendi demandavit. Dum autem perquireretur vir praecipue hebraicae linguae gnarus, qui, quod auctor morte impeditus praestare non potuit, eius nomine diligentius et accuratius absolveret, Michaeli Angelo a Sancto Romulo, Ord. Minorum de observ. Provinciae Genuae, Theologiae Professori et Hebraicae Linguae Lectori generali, haec provincia mandata est, ut sedula cura omnia secundum ipsius auctoris mentem exacte praestita prelo committerentur.

Hoc opus in quatuor tomos formae maximae distributum Romae 1621. prodiit sic inscriptum:

Concordantiae | Sacrorvm Bibliorvm | Hebraicorvm, | In quibus Chaldaicae etiam Librorum Esdrae, et | Danielis suo loco inseruntur: | Deinde, post Thematum seu Radicum omnia deriuata, et vsus latius deducta; ac linguarum

---

nus a Monte Calvo Pontifici Gregorio XV. dedicavit; alterum vero opus Rabbi Asch. Anschel, inscriptum מַרְבֵּבַת הַמִּשְׁנָה, quod Cracoviae 1534. 4°, ibid. s. a. 4°, ibid. 1552. fol., ibid. 1584. 4° prodiit, potius inter Lexica Vet. Test. recensendum esse, ex iis elucet, quod Fuerstius in Biblioth. iud. I. p. 46. de eo refert.

Chaldaicae, Syr. et Arab. vocabulorumque | Rabbinicorum cum Hebraicis conuenientiam; Latina ad | verbum uersio adiungitur, ad quam Vulgatae, | et Septuaginta editionum differentia fi-|deliter expenditur. | Demum Nomina propria ad calcem nouo ordine digeruntur. | Auctore R. P. Doct. F. Mario de Calasio | ord. Min: obser. Prou. Romanae, linguae S.tae | professore. | Opus Reipub. Christianae, et praesertim Diuini uerbi conciona-|toribus, ac S. script. studio incumb. summè utile, et apprimè necessarium. | Tomvs Primvs. | *(Infimo loco; figuris interpositis:)* Romae CIↃ IↃ C XXI. | Apud Stephanum Paulinum Superiorum permissu. | Phil. Thomassinus fecit.

Hic titulus non typis exscriptus, sed una cum multis figuris, quibus cinctus est, a Phil. Thomassino aeri est incisus. — Duo folia titulum sequentia continent Superiorum veniam hoc opus imprimendi et Fr. Bernardini a Monte Calvo epistolam dedicatoriam ad Gregorium XV. Pontificem; tria subsequentia Fr. Michaelis Angeli a Sancto Romulo praefationem ad Lectorem, et auctoris vitam; sequens folium (b 1) continet Francisci Donati Romani Ord. Praedicatorum, S. Theol. ac Linguarum Oriental. Prof., carmina hebraica et syriaca in laudem Auctoris et Operis; quinque sequentia, quorum duo priora signata sunt: b 2, b 3, exhibent Lucae Guaddini Hiberni Manapien., olim apud Salmanticen. Theol. Professoris, De Hebraicae Linguae origine, praestantia, et utilitate, ad sacrarum literarum studiosos interpretes, Opusculum.

In sequenti folio littera *A* signato orditur Concordantiarum Tomus I. ab hac inscriptione:

Concordantiae Sacrorvm Bibliorvm Hebraicorvm

Quibus accesserunt

A fronte cuiusque vocis, seu radicis Hebraicae amplissima eius derivatorum, usuum, significationumque declaratio; ac postmodum vocabulorum aliquot Chaldaicorum, Syriac. Rabbinic. et Arabic. vel ab ipsis radicibus Hebraicis

derivatorum, vel cum iisdem quoquo modo congruentium convenientia: Voces Chaldaeae quae reperiuntur in libris Hezrae, et Daniel iuxta Hebraicarum ordinem accurata opera digestae: Interpretatio Latina ad verbum: addita in margine varia lectione Vulgatae editionis, et Septuaginta Interpretum ad quamlibet cuiusque thematis Hebraici, Chaldaicique dictionem fideliter ac diligenter examinata.

Nomina quoque propria Hebraea, et Chaldaea virorum, mulierum, populorum, idolorum, urbium, fluviorum, montium, caeterorumque locorum, quae in Bibliis leguntur.

Quae suis singula locis, et ordine alphabetico succincte, ac dilucide explicantur

Carolus Schaaf (natus a. 1646. 28. Aug. Neussae prope Dusseldorpium in agro Coloniensi, postquam in Academia Duisburgensi linguis orientalibus ac theologiae operam dederat atque inde ab a. 1677. illas ibidem docuerat, a. 1679. Lugdunum Batavorum sese vertit, ubi primum easdem privatim docebat, deinde a. 1681 earum lector, denique serius Professor linguarum orient.

dictus, ibique mortuus est a. 1729. 4. Nov.) [1] a. 1709. forma quaternaria edidit hocce Lexicon Concordantiale:

Lexicon | Syriacum | Concordantiale, | omnes | Novi Testamenti Syriaci | voces, | Et ad harum illustrationem multas alias Syria- | cas, et Linguarum Affinium dictiones | complectens, | Cum necessariis Indicibus, Syriaco et Latino; ut et | Catalogo Nominum propriorum ac | Gentilium N. T. Syr. | Indefesso labore elaboratum | a | Carolo Schaaf. | *(infra hoc auctoris nomen titulo insertae sunt figurae aeri incisae)* | Lugduni Batavorum. | Typis Joh. Mulleri, Joh: Fil: | Apud Cornelium Boutesteyn, et | Samuelem Luchtmans. 1709.

Hoc Lexicon, quod ipse possideo, praeter titulum complectitur 96½ plagulas, quarum prima, *, ** signata continet Praefationem; seqq. 80½ litteris A—Z, Aa—Zz, Aaa—Zzz, Aaaa —Mmmm (dimidia) signatae, pag. 1—644. Lexicon ipsum, in cuius fine praetermissa adduntur; in seqq. 6 plagg. litt. Mmmm (altera dimidia)—Ssss (dimidia) signatis exhibetur Index vocum Syriacarum N. T. anomaliam in aliqua radicali admittentium; in seqq. 7 litt. Ssss (altera dimidia) — Bbbbb (dimidia) signatis Index vocum Latinarum Syriacis huius Lexici vocibus respondentium; in ultimis 2 plagg. litt. Bbbbb (altera dimidia) — Ddddd (dimidia) signatis Catalogus Nominum Propriorum et Gentilium N. Testamenti Syriaci. Omnes Indicum paginae, numeris superioribus carentes, in tres columnas sunt divisae.

Hoc Lexicon antecedentia N. T. syriaci Lexica multum antecellens ab auctore recte appellatur *Concordantiale* eam ob causam, quod ad singulas nominum verborumque formas indicantur *omnes* loci N. T. syriaci, in quibus reperiuntur; ad singulas autem particulas, quibus etiam pronomina ab auctore adnumerantur, non omnes quidem loci, attamen *multi*. Hanc ob rem certe eodem

[1] Vitae eius descriptio atque operum ab eo editorum recensio invenitur in Hirschingii libro supra memorato: *Histor.-litter. Handbuch* T. X., P. II. p. 188 sq.

iure Concordantiarum nomine dignum est ac Hugonis de Sancto Charo opus, in quo item soli loci ad singulas voces indicantur, immo maiori, quippe quod non vox, sicut in illo, tantum generatim, sed singulae eius formae, quae in locis adscriptis occurrunt, designantur; a ceteris vero Concordantiis eo differt, quod voces illis formis praecedentes et subsequentes desiderantur; etiam a Noldianis et Tympianis eo discrepat, quod in illis certe quidam loci integris verbis afferuntur, in hoc autem nullus. Denique annexo Catalogo Nominum propriorum et gentilium N. T. syriaci, in quo omnes eius loci, in quibus leguntur, adnotati sunt, quamquam haec nomina in eo non syriace, sed latine referuntur, ille defectus remotus est, quo Concordantiae hebraicae adhuc laborant.

Ut lectori huius quoque operis specimen praebeatur, h. l. affero primam eius vocem:

ܐܐܪ *m.* Aër Ἀὴρ, 1 *Cor.* 9 : 26. 14 : 9. *Ephes.* 2 : 2. 1 *Thess.* 4 : 17. *Apoc.* 9 : 2. 16 : 17.

III. Concordantiae Bibliorum graecorum.

Euthalium Rhodium, monachum S. Basilii, ad imitationem Hugonis Carensis, graeco sermone opus Concordantiarum totorum Bibliorum anno 1300. collegisse, easque ineditas Romae inter antiquas membranas asservari, Sixti Senensis testimonio fretus supra p. XIV. indicavi. Similia fata habuisse videntur

Concordantiae Graecae Veteris et Novi Testamenti
studio Sugdoris,

de quibus Le Long l. l. p. 456. haec verba Alex. Helledii ex eius libro, quem inscripsit: Praesens status Ecclesiae Graecae (1714. 8°), p. 7. refert: „Diu iam hisce Concordantiis, opere triginta annorum Rev. Domini Sugdoris Doctoris Johannensis spes nobis facta est, an autem excusum hoc elegans et a Graecis expectatissimum opus fuerit nec ne, nondum mihi percipere licuit.“

Quapropter repeto, quod iam illo loco dixi, nullas hucusque *editas* esse Concordantias graecas universales, quae tota Biblia graeca complectantur, sed tantum speciales, aut ad Vetus Testa-

mentum graecum ex versione LXX interpretum cum apocryphis, aut ad Novum Testamentum graecum pertinentes, quas nunc singulas recensebo.

a. Concordantiae Veteris Testamenti graeci ex versione LXX Interpretum cum apocryphis.

1. Conradi Kircheri.

Conradus Kircher Augustanus (Parochus ecclesiae Donauwoerthanae, postea Jaxthusanae), Xysti Betuleii Augustani, cognati sui, opere infra describendo incitatus, consilium cepit, id quod ille Concordantiis suis Novi Testamenti graeci studio praestiterit, simili opere Veteris graeci studio praestandi. De hoc proposito meditans reputavit, sine textu hebraico haud feliciter in Bibliis graecis, hebraismos in ipso sermone graeco resipientibus nos versari. Itaque duxit operae pretium facturum, qui eiusmodi Concordantias scriberet, quibus simul et hebraicorum et graecorum vocabulorum ex S. Scripturae locis collationem institueret. Hunc in finem verba et nomina inquirere, suis cellulis includere, numeris solum singula consignare, iterum describere, et thesaurum istum avide colligere coepit. Fere septennio sic peracto numeris verba textus adscripsit, grandique labore exantlato Concordantias suas finivit.

Hoc opus, quod, sicut Betuleii, Augustanae Reipublicae dicatum est, prodiit in duas partes formae quaternariae distributum a. 1607. sub hoc titulo:

Concordantiae | Veteris | Testamenti | Graecae, Ebraeis | vocibvs | respondentes, | *πολύχρηστοι.*

SIMVL ENIM ET

Lexicon Ebraicolatinum, Ebraicograecum, Graecoebraicum: genuinam vocabulorum signifi- | cationem, ex Septuaginta duorum, vt vulgo volunt, interpretum (vel istis, pro tempore, deficientibus, ex Aquilae nonnunquam, vel Symmachi, vel Theodotionis) translatione pe- | titam: homonymiam ac synonymiam Graecam et Ebraeam: quin et Ebraismorum variorum ex- | planationem Graecam: Graecismorum elocutionem Ebraeam: et sic διασάφησιν Veteris et Noui Testamenti,

collatione linguarum vtrobique facta, suauissima συμφωνίᾳ, lectoribus exhibent.

authore | Conrado Kirchero Augustano. | *(Infra haec interpositum est Bibliopolae Insigne.)* | Francofvrti | Apud Claudium Marnium, et heredes Johannis Aubrii |

M DCVII.

Huius operis, quod ex Bibliotheca Mariana in manibus habeo, Pars I. continet 143 plagulas, quarum prima asterisco, sequentes litteris A—Z, Aa—Zz, aAa—zZz, AaaA, BbbB signatae sunt, quarum quaeque 2 plagulas (8 folia) complectitur. Praeter primam plagulam, quarum paginae superioribus numeris carent, omnes paginae duos habent numeros superiores, unum a sinistra, alterum a dextra positum, ab 1. 2 (A 1[a]) usque ad 2271 2272 (BbbB 8[b]) progredientes. — In duobus foliis, quae titulum proxime sequuntur (* 2. 3) exhibetur auctoris epistola dedicatoria ad Rempublicam Augustanam, ex Musaeo Sueuowerdano 1607. data, in tertio folio eius praefatio Ad lectorem, subiuncto epigrammate Ad Zoilum. Folio A 1[a] incipiunt ipsae Concordantiae. In his singulae paginae linea media perpendiculari divisae sunt in duas partes aequales, quarum quaeque peculiarem habet numerum superiorem, atque unum pluresve voces hebraicas ei inscriptas, ut lector uno obtutu cognoscat, ad quam seu quasnam voces hebraicas loci graeci in hac paginae parte propositi pertineant. Utraque harum paginae partium iterum divisa est in duas columnas, quarum sinistra angusta est, dextra autem paene triplum illius spatium habet. In hac latiori afferuntur voces hebraeae, earum interpretationes latinae, et graecae voces, quibus illae a LXX Interpretibus translatae sunt; his subiuncta sunt verba graeca singulorum locorum, in quibus illae voces hebr. sic graece versa sunt; iuxta haec verba graeca in angustiore columna indicantur loci eorum nomine libri biblici atque numero capitis versusque. — Haec Pars I. complectitur voces hebr. a litteris א — ל ordientes cum interpretatione lat., vocibus graecis, quae iis in versione LXX Interpr. respondent, atque locis huius versionis, in quibus sic graece translatae sunt.

Pars II. continet 181 plagulas, quarum 144½ priores litteris AA—ZZ, AAA—ZZZ, AAAA—ZZZZ, AAAAA—CCCCC signatae sunt, quarum ultima 2½ plagg. (10 folia), ceterae binas plagg. (8 folia) complectuntur; 36½ posteriores plagulae signatae sunt litteris graecis α—ς, quarum ultima ς 2½ plagg. (10 folia), ceterae binas plagg. (8 folia) complectuntur. Illae 144½ priores plagulae, quae numeros superiores 1—2310 habent (excepta ultima pagina numeris carente) exhibent voces hebr. a litteris מ—ת ordientes eadem ratione, quae in P. I. descripta est. In ultima pagina (CCCCC 10b) enumerantur Errata utriusque partis. — Posteriores 36½ plagg. litteris graecis signatae incipiunt ab hac inscriptione:

Index alphabeticvs | svb qvot et qvibvs Ebraeorvm radi-| cibus, singulae voces in Concordantiis Veteris Testamenti Grae- | cae reperiantur, quasi digito monstrans; additis apocryphorum | librorum vocabulis ac testimoniis.

Huius Indicis paginae linea media perpendiculari in duas partes aequales sunt divisae, quarum quaeque inscripta est binis litteris graecis, a quibus voces graecae in ea allatae ordiuntur, e. c. primae paginae sinistra pars habet inscriptiones *ΑΒ ΑΓ*, quia continet voces *Ἀβασίλευτος—ἀγαθόποιος*, eius dextra pars est inscripta *ΑΓ*, quod exhibet voces *ἀγαθός—ἀγαλλίαμα*. Hae paginae Indicis non sicut praecedentis operis binis, sed singulis numeris superioribus instructae sunt: α 1a habet numerum 1 et ultima huius Indicis pagina ς 9b habet numerum 290. In huius paginae medio Index finitur subnotatis *Erratis et praetermissis*. ς 10a vacat, ς 10b continet idem Bibliopolae Insigne, quod titulo est interpositum. In hoc Indice vocibus graecis alphabetico ordine in eo allatis tantum librorum apocryphorum loci ipsis verbis subiunguntur, loci autem ex versione LXX Interpretum afferendi, in quibus eadem vox graeca legitur, non ipsis verbis afferuntur, sed solis numeris paginarum praecedentis operis, ubi hi loci ipsis verbis allati sunt, indicantur. In his paginis citatis prior pars operis signatur littera a, altera littera b, ut lector sciat, cuiusnam partis quaeque pagina sit.

In praefatione ad lectorem auctor refert, latinam graecarum vocum interpretationem desumptam esse ex Bibliis anno 1550. per columnas, forma 8a. Basileae graece latineque excusis; radicum hebraicarum interpretationem ex Iohannis Forsteri Lexico, et quae litteris S. P. designata sit, ex Thesauro Sanctis Pagnini esse petitam.

Ex illa descriptione intelligitur, hoc opus, quatenus ad versionem LXX Interpretum pertinet, ergo tota Pars I. et priores 144½ plagulae Partis II. non vere Concordantias graeco-hebraicas, sed potius hebraico-graecas exhibere, quippe quod omnia secundum voces hebraicas alphabetico suo ordine allatas digesta sunt, unde elucet, Kirchero propositum fuisse uno conspectu continua serie declarare, quot modis et quibus vocabulis quamcunque dictionem hebraicam expresserint LXX Interpretes. Indicem vero, quatenus integra locorum biblicorum verba exhibet, Concordantias librorum apocryphorum appellare licet (quamquam minime omnes horum librorum voces ab eo ibi relatae sunt), quoniam omnes illi loci ex solis libris apocryphis afferuntur; loci versionis LXX Interpretum ibi non ipsi adscripti sunt, sed lector ad paginas praecedentium Concordantiarum, ubi allati sunt, delegatur.

Ut, quod de huius operis ratione modo dixi, clarius cognoscatur, speciminis instar initium ipsarum Concordantiarum, et deinde initium Indicis h. l. propono.

[1]אֵב אָבִיב

אֵב Germinatio, arbustum, fructus, viror.

ῬΙΖΑ. Radix.

Iob. 8, 12 *ἔτι ὂν ἐπὶ ῥίζης, καὶ οὐ μὴ θερισθῇ;*

ΓΕΝΝΗΜΑ. Generatio.

Cant. 6, 10 *κατέβην ἰδεῖν ἐν γεννήματι*
[*ὀπώρας Sym. καρπὸν alii.*]

---

[1] Praeter has duas voces in opere ipso huic columnae inscripta est etiam tertia vox אָבַר, quia in fine huius columnae haec quoque radix affertur. Quod hanc in specimine praetermisi, etiam in inscriptione omissa est.

אָבִיב Foecunditas, procrescentia, seu prouentus anni, spica cum culmo. Inde primus anni mensis, pater nouarum frugum, qui et נִיסָן[1] dictus est, quod illo filii Israel, ex Aegypto effugerint. Cognationem habet cum בּוֹא טֹב יָבַב יָאַב nisi quod vt forma parum, ita modo tantum significandi, inter se differant.

ΜΗΝ ΝΕΩΝ. Mensis nouarum frugum.

Exod. 13, 4 *ἐκπορεύεσθε ἐν μηνὶ τῶν νέων.*
23, 15 *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ μηνὸς τῶν νέων.*
34, 18 *φαγῇ κατὰ τὸν καιρὸν ἐν τῷ μηνὶ τῶν νέων*
ἐν γὰρ τῷ μηνὶ τῶν νέων ἐξῆλθες
Deut. 16, 1 *φύλαξαι τὸν μῆνα τῶν νέων.*
ἔτι ἐν τῷ μηνὶ τῶν νέων ἐξῆλθες

ΝΕΟΣ. Nouus. De prima spica accipitur.

Leuit. 2, 14 *προσφέρῃς θυσίαν νέα πεφρυγμένα*
[Aq. *ἁπαλὰ λάχανα,* The. *πίονα ἄλφιτα.*]

ΠΑΡΙΣΤΗΜΙ. Germino.

Exod. 9, 32 *ἡ γὰρ κριθὴ παρεστηκυῖα.*

ΜΕΤΕΩΡΟΣ. תֵּל אָבִיב Sublimis.

Ezech. 3, 15 *εἰσῆλθον εἰς τὴν αἰχμαλωσίαν μετέωρος*
[*θὲλ ἀβὶβ Aq. Sym. The.*]

Huic Concordantiarum specimini addo alterum Indicis, qui ncipit ab his duabus vocibus:

Ἀβασίλευτος a 200. b 141
ἄβατος a 263. 1005. b 727. 912. 1761. 1870. 2056. 2259. 2275
Bar. 2. 4 *καὶ εἰς ἄβατον ἐν πᾶσι τοῖς λαοῖς*
Sap. 5. 7 *καὶ διωδεύσαμεν ἐρήμους ἀβάτους*
11. 2 *καὶ ἐν ἀβάτοις ἔπηξαν σκηνὰς*

---

[1] Sic emendavi; in ipso opere legitur falso נִים.

Le Long l. l. p. 456. inter Concordantias graecas memorat has quoque ad illas Kircheri quodam modo spectantes:

Epitome Concordantiarum Graecarum Kircheri, ab Arnoldo Bootio confecta. *Bibl. Segueriana pag.* 37.

Concordantiae Graecae Veteris Test. Hebraicis vocibus respondentes, sive Conradi Kircheri Concordantiae inversae, 2 voll. fol. *Biblioth. Bodleiana codd.* 3046—47.

Concordantiae librorum Veteris Testamenti Apocryphorum Graeco-Danicae, Kircherianis perfectiores, auctore Francisco Michaële Vogelio, in 8⁰ nondum editae. *Nova Literaria Maris Balthici anni* 1699 *pag.* 210.

2. Abrahami Trommii.

Abrahamus Tromm (natus a. 1633. 23. Aug. Groningae, studiis academicis absolutis in Helvetiam profectus Basileae a Buxtorfio lingua hebraica institutus est, postea ab itinere in Galliam et Angliam facto reversus a. 1671. Parochus ecclesiae Groninganae et 1717. Dr. Theol. nuncupatus, a. 1719. d. 29. Maii mortuus est), postquam Concordantias Belgicas in usum Belgicarum Ecclesiarum ab ipso elaboratas publici iuris fecerat, animum induxit ad Concordantias graecas in Veteris Testamenti graecam versionem LXX Interpretum concinnandas, ratus eiusmodi viris doctis ubique terrarum in volvenda meditandaque ista versione haud exiguo usui futurum; nam praeterquam quod illius Kircheriani operis impressa olim exempla dudum defecissent nec unquam recusa essent, intellexerat quoque illud opus neque eo ordine, quo debuerat, institutum esse, neque ea cura, qua potuerat, formatum limatumque fuisse. Quos vero defectus naevosque in ea animadverterit, accuratius in praefatione sui operis exposuit. *Tria* sunt, quae in illo omnino reformanda esse putavit:

primum illud est, quod auctor in hoc opere *secundum alphabetum hebraicum procedat,* cum tamen *titulus* operis sit *Concordantiae Graecae;*

alterum in eo consistit, quod ab ipso tot *perversa loca*

S. Scripturae afferuntur et *plurima alia loca* hinc inde *omissa* sunt.

tertium hoc est, quod auctor saepe *derivatas voces hebraicas* sub radicibus *indistincte et promiscue* posuit, quae ab invicem separandae erant.

His defectibus mendisque perspectis cognitaque necessitate Kircheri Concordantias transformandi, emendandi, complendi et sic aptas et idoneas reddendi, hunc grandem laborem in humeros suos devolvit et post sedecim annos exantlavit.

Hoc novum opus prodiit a. 1718 (anno aetatis auctoris LXXXIV.) in folio minori in duos tomos distributum sub hoc titulo:

Abrahami Trommii | Concordantiae | Graecae | Versionis vulgo dictae | LXX Interpretum, | Cujus voces secundum ordinem elementorum sermonis Graeci | digestae recensentur, contra atque in | Opere Kircheriano | factum fuerat. | Leguntur hic praeterea | Voces Graecae pro Hebraicis redditae | Ab antiquis omnibus Veteris Testamenti Interpretibus, quorum | nonnisi fragmenta extant, | Aquila, Symmacho, Theodotione et aliis. | quorum maximam partem nuper in lucem edidit | Domnus Bernardus de Montfaucon. | Tomus I. | *(sub hac voce titulo utriusque Tomi interpositum est ornamentum typographicum.)* | Amstelodami et Trajecti ad Rhenum, | Sumptibus Societatis. | M. D. CCXVIII.

Huic titulo pleniori, qui in secundo folio exhibetur, praecedit in primo folio hic brevior:

Concordantiae | Graecae | in | Septuaginta | Interpretes. | II. Voll. | *A* – * —*A*

Tomus I. continet 256½ plagulas, quarum secunda (proxime post duplicem titulum sequens) uno asterisco, tertia duobus, quarta tribus, quinta dimidia quatuor asteriscis signatae sunt, ceterae 252 plagulae signatae sunt litteris A—Z, Aa—Zz, Aaa—Zzz, Aaaa—Zzzz, Aaaaa—Zzzzz, Aaaaaa—Llllll, quarum quaeque 2 plagulas (4 folia) complectitur. Paginae harum 252 plagg., in

quibus Concordantiarum prior pars proponitur, habent numeros superiores 1—1008.

In tribus foliis utrique titulo proximis legitur auctoris ad Consules et Senatores Urbis Groningae ipsi patriae Dedicatio huius operis data Groningae a. 1717. die 24. Iulii; in tribus subsequentibus eius Praefatio ad lectorem eodem die scripta, in qua de Kircheriano suoque opere accurate disserit; sequens folium continet Theologicae Facultatis Academiae Provincialis Groning-Omlandicae approbatio Operis Trommiani a Paulo Hulsio Facultatis decano Groningae d. 21. Nov. a. 1710. data, cui subiunctae sunt auctoris annotatio de moris aliquot annorum post acceptam approbationem, antequam opus prelo subiiceretur, et admonitio de Erratis.

Paginae Concordantiarum, quae a plagula A, pag. 1 ordiuntur, et in hoc Tomo I. voces graecas a litteris *A*—*Λ* incipientes exhibent, linea media perpendiculari divisae sunt in duas columnas, quarum quaeque inscripta est ternis litteris initialibus earum vocum, quae in hac columna afferuntur, e. c. primae paginae sinistra columna: *ABA. ABE. ABI.* quoniam continet voces gr. *Ἀβασίλευτος*, *Ἄβατος*, *ἀβατόω*, *Ἀβεβαιότης*, *Ἀβίβ*.

Tomus II., cuius plenior titulus solo Tomi numero, et brevior tantum indicio litterarum *M*—*Ω*, a quibus voces graecae huius Tomi ordiuntur, ab utroque titulo Tomi I. differunt, continet praeter primam plagulam, in qua duo tituli leguntur, 240 plagulas, quarum priores 179 litteris A—Z, Aa—Zz, Aaa—Zzz, Aaaa—Xxxx (ex quibus ultima unam, ceterae binas plagg., 4 folia complectuntur) signatae, pag. 1—716. bipartitae alteram graecarum Concordantiarum partem, videlicet voces a litteris *M*—*Ω* incipientes comprehendunt. Subsequentes 33½ plagulae litteris a—z, aa—kk (quarum ultima dimidiam, a. duas plagulas, ceterae singulas plagg. complectuntur) signatae, quarum folia a 3—kk 1 numeros superiores 5—134 habent, praebent Indicem sic inscriptum:

Index | Hebraeus | et | Chaldaeus, | Quo recensentur | Omnes omninò voces | tùm Hebraeae tùm Chaldaeae | quae in

praecedente | Concordantiarum | Graecarum | Opere reperiuntur. | Estque veluti | Clavis | Utilissima et perquam necessaria | ad eas quàm facillimè reperiendas.

Hunc titulum sequitur (fol. a 2) auctoris Praevia Manuductio ad sequentem Indicem, qui fol. a 3ª (pag. 5) orditur, et fol. kk 1ᵇ (pag. 134) finitur, omnes voces hebr. et chald. praecedentium Concordantiarum ordine alphabetico hebr. ita exhibens, ut cuique voci hebr. seu chald. vox graeca, qua in versione LXX Interpr. translata est, et latina interpretatio addita sit. Eius paginae item in duas columnas sunt divisae.

Post hunc Indicem addita sunt duo additamenta sic inscripta:

Duplex | Additamentum | ad praecedentes | Concordantias Graecas, | quorvm Prius continet | Lexicon Graecum ad Hexapla Origenis; | comprehendens | Plurimas voces Graecas e residuis Fragmentis variarum Interpretationum | Veteris Testamenti, nempe Aquilae, Symmachi, Theodotionis aliorumque, | collectas et in ordinem alphabeticum redactas | a | Dmno. Bernardo de Montfaucon, | Posterius | D. Lamberti Bos, | Succinctam Collationem duarum Editionum Francofurtensis et Vaticanae.

In folio (* 2), quod hunc titulum sequitur, Trommius refert, quid impulerit Editores Bibliopolas Concordantiarum suarum, ut hoc Lexicon Graecum ad Hexapla Origenis operi suo adiungerent. 17½ plagulae, in quibus hoc Lexicon continetur, litteris (a)—(s) (quarum ultima dimidiam, ceterae singulas plagulas complectuntur) signatae sunt, et numeros superiores 1—70 habent. Eius paginae in duas columnas sunt divisae. — Posterius Additamentum continet 9 plagulas [a]—[i] signatas, quarum primum folium titulum peculiarem huius additamenti exhibet; in secundo [a 2] pag. III. Trommius indicat, hoc Additamentum posterius, quo continetur duarum editionum LXX Interpretum, nempe Francofurtensis et Vaticanae, eo consilio esse operi suo subiunctum, ut lector editionis Francofurtensis a. 1597. impressae, quam Kircherus et ipse in digerendis ac ordinandis Concordantiis secuti sint, et earum edi-

tionum, quae ad exemplar Vaticanum excusae sint, discrepantiam maxime in versuum enumeratione perspiciat. Paginae IV—XXXVI, in quibus haec collatio proponitur, in ternas columnas divisae sunt.[1]

In illa editione Francofurtensi sub quaque pagina adiecta sunt *Scholia*, ex quibus iam Kircherus *varias interpretationes* plurimarum vocum desumpsit. Has Trommius non modo retinuit, sed etiam complures alias ab illo praeteritas ex istis scholiis in suum opus transtulit.

Additamenta ex libris Apocryphis, quae Kircherus collegerat ac Indici inseruit, a Trommio retenta sunt, ideoque in toto eius opere quaquaversum dispersa sub titulo *Addit. ex lib. apocr.* comparent. De his vero praemonuit, in utroque opere non integros omnesque libros apocryphos in Concordantias relatos, sed solummodo specimina quaedam ex iis esse adducta.

Nomina propria nec Kircherus nec Trommius in Concordantiis posuerunt. *Voculae indeclinabiles*, inprimis *Praepositiones* et *Coniunctiones* passim ab utroque pariter omissae sunt. Idem dicendum est de *Pronominibus*, quamquam tamen aliquando afferuntur.

Ex specimine nunc exhibendo lector cognoscet, hoc opus secundum voces graecas ordine alphabetico propositas ita esse digestum, ut sub quaque voce varia vocabula hebraica, quae illâ graecâ voce translata sunt, ubi plura sunt, alphabetico suo ordine disposita et numeris signata referantur, quibus in fine seorsim loci ex libris apocryphis saepe adduntur.

Hae Concordantiae sic incipiunt:[2]

Ἀβασίλευτος. Absque rege, carens rege

אֵין מֶלֶךְ *non* est *rex.*

Prov. 30. 27. *ἀβασίλευτόν ἐστιν ἡ ἀκρὶς, καὶ ἐκστρατεύει.*

---

[1] Hoc opus Trommianum in Bibliotheca Academica Halensi et in meis libris est.

[2] Ternas litteras initiales, quibus haec prima columna inscripta est, iam supra p. LX memoravi.

Ἄβατος. Inaccessibilis, invius; *et in neutro* ἄβατον. Invium.

1. אֵיתָן *validus.*

Amos. 5. 24. καὶ ἡ δικαιοσύνη ὡς χειμάῤῥους ἄβατος.

2. אָלָה *execratio.*

Ier. 42. 18. καὶ ἔσεσθε εἰς ἄβατον, καὶ ὑποχείριοι.

3. גְּזֵרָה *decisio.*

Lev. 16, 22. καὶ λήψεται ὁ τράγος. εἰς γῆν ἄβατον.

4. עָיֵף *fessus, lassus.*

Psalm. 62. 2. ἐν γῇ ἐρήμῳ, καὶ ἀβάτῳ, καὶ ἀνύδρῳ.

5. עֲרָבָה *desertum.*

Ier. 50. 12. ἐσχάτη ἐθνῶν ἔρημος καὶ ἄβατος.

51. 43. ὡς γῆ ἄνυδρος καὶ ἄβατος.

6. שׁוֹאָה *vastitas.*

Iob. 38. 27. τοῦ χορτάσαι ἄβατον καὶ ἀοίκητον.

7. שׁוּחָה *fovea.*

Ierem. 2. 6. καθοδηγήσας ἡμᾶς. ἐν γῇ ἀπείρῳ καὶ ἀβάτῳ.

8. שַׁמָּה *desolatio.*

Ier. 25. 18. θεῖναι αὐτοὺς εἰς ἐρήμωσιν, καὶ εἰς ἄβατον.

[*in hoc opere h. l. sequuntur* 5 *alii loci a me omissi.*]

9. שְׁמָמָה *idem.*

Ierem. 6. 8. μὴ ποιήσω σε ἄβατον γῆν.

[*omitto* 4 *alios locos ibi seqq.*]

10. תֹּהוּ *inane.*

Psal. 106. 40. καὶ ἐπλάνησεν αὐτοὺς ἐν ἀβάτῳ.

11. תֵּל *tumulus.*

Ierem. 49. 2. καὶ ἔσονται εἰς ἄβατον, καὶ εἰς ἀπώλειαν.

12. *Add. ex libris apocryphis.*

Bar. 2. 4. καὶ εἰς ἄβατον ἐν πᾶσι τοῖς λαοῖς.

[*omitto* Sap. 5, 7. 11, 2. *ibi additos.*]

ἀβατόω. Desertum reddo. הֵשֵׁם *hiph. a* שָׁמֵם

Ier. 49. 19. ἐὰν μὴ ἀβατωθῇ ἐπ' αὐτοὺς κατάλυσις αὐτῶν.

In hoc opus Trommianum Ioh. Gagnier, Linguarum orientalium Professor Oxoniensis, scripsit ediditque hunc librum:

Vindiciae Kircherianae s. Animadversiones in novas Abr Trommii Concordantias graecas versionis LXX. Oxon 1718. fol. et 8.

b. Concordantiae in Novum Testamentum graecum.

1. Xysti Betuleii.

Xystus Betuleius (proprie: Sixtus Birken, natus a. 1500. 21. Febr. Augustae Vindelicorum, studiis in Academia Basileensi absolutis 1536 in patria urbe Rector scholae S. Annae et Praefectus Bibliothecae huius urbis dictus, ibique mortuus est a. 1554 d. 19. Jun.) primus est, qui Concordantias in Novum Testamentum graecum non modo incepit et ad finem perduxit, sed etiam edidit. Supra dixi de Euthalio Rhodio, qui omnium primus Concordantias in tota Biblia graeca concinnavit, quae autem nunquam editae sunt. Alius quidam eiusmodi opus in Novum Testamentum graecum incepit quidem, sed labore territus mox desiit. Betuleius enim in operis sui praefatione ad lectorem haec narrat: „Coeperat hoc opus ante me Theologus quidam, laudabiliter admodum: sed cum is modum conficiendi non teneret, rogabat me, ut sibi compendiariam quandam huius operis conficiendi rationem praescriberem. Qui cum difficultatem opinione maiorem esse cerneret, ea deterritus, in ipso limine labori succumbens, opus multo sanctissimum nondum recte inchoatum, tam turpiter deseruit, quam laudabiliter instituerat. Quod cum ego intelligerem, putavi me meum talentulum non melius posse conferre, quam si hanc meam portiunculam ad communem studiosorum usum adferrem.“ Partim hoc casu, partim magno fructu, quem latinae Concordantiae ad theologiae studium afferebant, incitatus Betuleius consilium cepit Concordantias graecas in Novum Testamentum concinnandi, in quo a viris doctis, quibuscum hoc communicaverat, iterum iterumque confirmabatur. Quapropter, licet saepe ad extremum fatigatus, in labore incepto perseveravit eumque octo annorum spatio ad finem perduxit, haud

parum adiutus a discipulis suis, qui egregiam hac in re navarunt operam.

Hoc opus prodiit Basileae 1546 in folio minori sub hoc titulo:

ΣΥΜΦΩΝΙΑ,

Η ΣΥΛΛΕΞΙΣ ΤΗΣ ΔΙΑΘΗΚΗΣ | ΤΗΣ ΚΑΙΝΗΣ.

Συλλέξαντος Ξύστου τοῦ Βετουλήΐου, τοῦ τῆς Αὐγούστης τῶν | Βινδελύκων γραμματοδιδασκάλου.

Noui Testamenti Concordan- | tiae Graecae, opvs magno | usui omnibus Sacrarum scripturarum uerè studiosis futurum: singula- | ri nuper XYSTI BETVLEII, bonarum literarum apud inclytam Vin- | delicorum Augustam doctoris, industria collectum, | inque lucem editum. *(Infra haec titulo insertum est Insigne: Arion pisci natanti insidens harpaque canens.)* | Cum Caes. Maiest. gratia et priuilegio | ad quinquennium. | Basileae.

In operis fine legitur Clausula:

Basileae, ex officina | Ioannis Oporini, Anno | Salutis humanae M. D. XXXXVI. | Mense Ianuario.[1]

Hic liber paginarum numeris superioribus carens continet 144 plagulas litteris *α*, A—Z, Aa – Zz et & (sigla vocis *et*) signatas, quarum quaeque 3 plagulas (6 folia) complectitur. — In pagina tituli aversa legitur auctoris epigramma graecum sex versuum, inscriptum: *Πρὸς τὸν Χριστὸν προςφορὰ τοῦ Ξύστου.* Fol. *α* 2ᵃ—3ᵇ med. exhibent auctoris dedicationem ad Ioannem Welserum et Iacobum Herbrot, Reipublicae Augustanae Consules, fol. 3ᵇ med.—4ᵇ med. eius praefationem ad lectorem, fol. 4ᵇ med.—6ᵃ med. sex carmina quae versantur in auctore eiusque opere laudando: 1) graecum Iacobi Crellii, 2) latinum Ioannis Cratonis Vratislaviensis, 3) lat. Sebastiani Castalionis, 4) lat. Andreae Dietheri Augustani, 5) graecum Conradi Gesneri, 6) lat. Rodolphi Gualtheri Tigurini; fol. *α* 6ᵇ praebet Addenda in opere omissa, cum typographi praemonitione. Foll. A 1ᵃ—& 6ᵃ (in cuius fine Clausula typographi iam

---

[1] Hoc opus in Bibliothecis Halensibus Academica et Mariana exstat.

memorata addita est) continent Concordantias, iisdem graecis verbis, a quibus titulus orditur, inscriptas. Omnes earum paginae in duas columnas divisae sunt, quae autem non linea, sed solo spatio interposito ab invicem secernuntur, peculiaribus inscriptionibus carent. Voces graecae, ad quas loci biblici iis subiuncti pertinent, ut clarius conspiciantur atque a locis ipsis distinguantur, in medio lineae positae sunt praefixo signo, quod simile est litterae P, cuius rotunda pars atro colore expleta ad sinistram versa, recta vero pars duplicata est. His vocibus fere omnibus (praeter partem nominum propriorum adiuncta est latina interpretatio. Liber biblicus et numerus capitis, ex quo locus affertur, si spatium lineae a verbis graecis non expletur, utrique in dextra lineae parte extrema indicantur, ubi vero, propter lineam verbis ipsis expletam, in peculiari linea subiunguntur, nomen libri biblici in sinistra peculiaris lineae parte, numerus capitis secunctim in dextra extrema ponitur.

De opere suo in universum auctor in praefatione fatetur, elimatius hoc obsolvi potuisse, si ab initio aliter, quam latinae Concordantiae sint, instituisset. De methodo, qua verba graeca digesserit, in eadem praefatione nil refert nisi haec: „Digessimus passiva et media ab activis, sed utriusque participia suorum verborum thematibus subiunximus. Participialibus tamen peculiares dedimus inscriptiones.“ De interpretatione latina vocibus graecis apposita ibidem dicit, sibi ab initio vocum interpretationes adiicere consilium non fuisse, sed in ipsa demum operis dispositione rationem id suasisse, ita ut latinorum Bibliorum Vulgatae editionis versionem, aliquoties Erasmicam, interim, neglectis translationibus, significationes in buccam venientes assignaverit. Denique quod solos capitum numeros libris biblicis adscripserit, ibidem sic excusat: „Latinae [Concordantiae] unam habent commoditatem, quam nos assequi minime potuimus. Nam per tota Biblia singula capita quibusdam literarum characteribus sunt interstincta, quibus in Concordantiis literae respondent: quibus quia Graecorum Bibliorum editiones maxima ex parte carent, id quod voluimus, assequi

nequivimus. Maxima ex parte dixi, quia in maiori illa Frobeniana Novi testamenti editione,[1] in Evangelistis potissimum, et in Pauli ad Romanos et Corinthios epistolis, quaedam per literas intercapitulationes ex antiquo, nisi fallor, Graeco quodam codice assignatae: quae quia ab initio neglectae fuerant, infiniti laboris erat, neglectum corrigere. Et correxissem sane, nisi doctissimus quidam, et mihi coniunctissimus, et diutissime in sacrarum literarum studio versatus, me ab inutili hoc labore retraxisset: id quod verum erat dicens, me Theologiae candidato plus hac opera incommodaturum, quam profuturum, cum eas parvae editiones nullae habeant."

Nomina propria in hoc libro afferuntur, item Pronomina; Adverbiis, Praepositionibus et Coniunctionibus plerumque unus tantum aut perpauci loci biblici additi sunt, e. c. voci *οὐ* unus locus, *οὐ οὐ* 3, *οὐδέ* 3, *οὐκ* 2, *οὐκ ἔτι* 3, *εἰς* 4, *ἐκ* 1, *ἐν* 3, *περί* 3, *εἰ* 5, *εἰ δὲ μή*, *εἰ δὲ μή γε* 3, (a quibus *εἰ μή* cum 9 locis longo spatio separatum est, affertur enim demum post *εἰλικρινής*); aliae eiusmodi voces omnino omissae sunt ut *ἀπό*, *ἀλλά*, *γάρ*, *μέν*. In Nominibus, Pronominibus et Verbis flexionum formae plerumque non seiunguntur, aliquoties tamen ex parte quidem hoc factum est, e. c. ad vocem *ὅσοι*, *ὅσα* neque genera, neque casus separantur, seiunctim vero afferuntur *ὅσον ὅσον*, *ἐφ' ὅσον*, *καθ' ὅσον*, *ὅσῳ*, item *ἀγαθόν*, *τό*, *ἀγαθά*, *τά* et *ἀγαθός* Adiect. separantur. — Ubi Substantivum cum adiuncto aliquid specialius significat, cum hoc seiunctim affertur eadem ratione, qua iam Hugo a Sancto Charo fecit (conf. supra p. VIII.), sic sub v. *υἱός* primum afferuntur loci, in quibus sine eiusmodi adiuncto occurrit, deinde loci, in quibus legitur *υἱὸς θεοῦ*, *υἱὸς ἀνθρώπου* etc.

Tanquam specimen huius operis affero eius initium:

AA.

A

Ἐγώ εἰμι τὸ α καὶ τὸ ω. Apocal. 1. et 22

[1] Novum Testamentum recognitum a Desiderio Erasmo cum annotationibus eiusdem. Basileae apud Ambros. Frobenium, 1541. 1542. Fol.

Ἀαρών

ἐκ τῶν θυγατέρων ἀαρὼν Lucae 1

ἀλλὰ ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ θεοῦ, καθάπερ

ὁ ἀαρὼν Heb. 5

εἴποντες τῷ ἀαρὼν Act. 7

καὶ οὐ κατὰ τὴν τάξιν ἀαρὼν λέγεσθαι Heb. 7.

2. Henrici Stephani.

Henricus Stephanus (filius Roberti St., natus a. 1528. Parisiis, linguae graecae latinaeque peritissimus, et multis libris, praesertim auctorum graecorum editionibus celeberrimus, postremo in summa paupertate mortuus est a. 1598. [aetatis anno LXX.] Lugduni in nosocomio) edidit quidem Concordantias Novi Testamenti graecas, sed quis earum auctor sit, latet. Praefatio enim, quam ipse scripsit et huic operi praefixit, in ea parte, quae ad huius operis originem spectat, occulta est. Ut lector ipse de hac re iudicare possit, verba eius h. l. affero: „Ut autem aliud ex alio venire illi [scil. ipsius patri Roberto Stephano, typographo Parisiensi, inde ab a. 1547. Genevensi, nato a. 1503. Parisiis, mortuo 6. Sept. 1559.] in mentem solebat, quum et heuretico praeditus ingenio esset, et magna pars cogitationum eius non alio intenta foret quam ad excogitandum quidpiam, quod sacrosancti voluminis lectoribus utilitatem afferret, Concordantiarum Graecarum, vel potius Graecolatinarum, opus, quae editioni Caput unumquodque in illa Tmematia sectum habenti responderent, praevertendum aliis omnibus existimavit. Neque tamen temporis compendium, quod cum operis illius dispendio non minus quam cum parcimonia sordida coniunctum esset, quaerere voluit (etiamsi in multis id operibus factitabatur, et hodie multo magis factitatur) quoddam opus, cui autor nomen Concordantiarum imposuerat, interpolatum, et accessione aliqua auctum edendo: praesertim quum non solum multo minus alicubi quam dimidiam locorum partem, sed multos etiam errores haberet: et quidem aliquos in nonnullis quoque verborum thematibus: qualis est ubi verbo ἠβουλήθην

(quod est pro ἐβουλήθην) thema datur ἀβουλέομαι. Quid igitur parens meus? idem nimirum quod de Concordantiis Latinis universorum Bibliorum, consilium iniit, ut relicta ea quae solum ex rivulis hauserat editione, ad ipsum fontem veniens, non pocillis, ut alii, sed magnis poculis tantum hauriret, quantum ad editionem plenarum Concordantiarum satis foret: quamvis vel paucarum guttarum pretium maius fide futurum esset. Non secus enim et antea, quum de excudendo illas Concordantias Latinas ageretur, ita se ad bonum reipublicae literariae, pro more suo, animatum ostenderat, ut quae multos alios propemodum exanimasset magnitudo sumptuum, eum non terreret: immo ne moveret quidem.“ Et paulo post haec addit: „Verum, ut a Latinis illis Concordantiis has ad Graecas revertar: quum multo maioris esse momenti has sciret pater, quod ipsamet Testamenti novi verba, minimeque ex interpretatione sumpta, offerant (quemadmodum Hebraicae ipsamet Testamenti veteris verba exhibent) nonnisi Appendice comitatum edere hoc opus statuerat: in qua, haud absque quorundam amicorum auxilio, nonnulla praestiturus erat, quibus utiliora vix fortasse sperari potuissent. Ac ne ego quidem hoc opus absque Appendice (si non omnino tam utili quam paterna illa fuisset, at certe non parum utilitatis allatura) abire ex mea officina permisissem: nisi, quam mihi ad suppeditandum his quoque sumptibus (qui eo maiores futuri erant quo plures συνεργοὺς habere me oportebat) aperueram non minus honestam quam expeditam viam, literae quaedam interclusissent.“ Ex illo priore praefationis loco haud claro haecce colligo:

1) Robert. Stephanus bene noverat utilitatem Concordantiarum latinarum ab ipso antea excusarum, et suo iure sperabat maiorem etiam fructum allaturas esse Concordantias, quae *non hausissent ex rivulis*[1] i. e. ex versione quadam, sed *ex ipso fonte* i. e. e textu originali, nempe Concordantias ex N. T. graeco concinnatas.

[1] Sic h. l. et in subseqq. typis cursivis designo verba ex illa praefatione a me repetita.

2) Idem, filio teste, expertus erat, in quantam auctoritatem gratiamque venerit inventum suum, quo librorum biblicorum capita in versiculos subdiviserat (de quo infra dicam).

3) Ergo certa spes ipsi erat, Concordantias graecas per se utilissimas multo magis fore acceptas, si lectori illa capitum subdivisione difficultas quemque locum in iis allatum in Codice sacro reperiendi removeretur; eamque ob causam studebat hac in re *aliis omnibus antevertere.*

4) Sine dubio intellexit, tantum opus de novo elaborare permultum temporis ac laboris exigere, et facilius breviusque esse, eiusmodi opus quoddam finitum editumque *interpolare, et accessione aliqua auctum* denuo *edere.*

5) Novit sane, tunc temporis unum tale opus exstare, videlicet Xysti Betuleii, quamqum nomen auctoris in titulo clare indicatum tacetur. Ea enim, quae in illo praefationis loco de *quodam opere, cui auctor nomen Concordantiarum imposuisset,* cum Betuleii Concordantiis magna ex parte congruunt:

a) Vituperatio, quod *multo minus alicubi quam dimidiam locorum partem* habeat, fere cadit e. c. in nomen Ἀβραάμ, ubi Betuleius 39 locos, Stephani Concordantiae 66 locos exhibent, in vocem ἄγαμος, ubi Bet. 2, Steph. 5 habet, item in vocem ἀγαπητός, ubi Bet. 40, Steph. 61 affert.

b) *Error, ubi verbo ἠβουλήθην thema datur ἀβουλέομαι,* invenitur in columna 1. primae paginae operis Betuleiani.

6) Ad haec accedit, quod Henr. Stephanus illo loco patrem Robertum auctorem quidem *consilii* designat, tale opus invento suo, capitum subdivisione, instructum ante alios edere, minime autem ipsius operis auctorem, neque se ipsum usquam eius auctorem nominat. In altero praefationis loco allato refert tantum, patrem huic libro *quorundam amicorum auxilio Appendicem addere* quidem *voluisse*, sed non fecisse, et se ipsum quoque ab hac re esse impeditum.

7) Has ob causas nullus dubito, quin iudicem opus Betuleianum harum Concordantiarum ab Henr. Stephano editarum fundamentum

esse, quod a quibusdam ex Rob. Stephani mandato eiusque sumptibus recensitum auctumque sit, qui etiam ubique capitis numero numerum versiculi adscripserint, quo locus allatus in sacro Codice facillime inveniretur.

8) Hunc laborem operis Betuleiani *complendi* non ab ipso Henrico Stephano esse susceptum, primum ex eo colligo, quod ipse in praefatione sua hoc non clare indicat,[1] sed de hoc libro scribit tanquam de opere a patre sibi derelicto, quod ipsius nomine edat; deinde ad hanc sententiam me commovent argumenta ab Erasmo Schmidio proposita (et infra afferenda), nempe permulti magnique errores in hoc opere obvii, in quos vir ille doctissimus induci non potuisset.

Hoc opus a. 1594. Parisiis prodiit formâ maximâ sic inscriptum:

Concordantiae | Testamenti Novi, | Graecolatinae.

Nunc primùm plenae editae: et diu mul- | tùmque desideratae, vt optimae duces | ad veram vocum illius interpretatio- | nem futurae.

In his quid praestitum sit, praefixa ad lectorem | epistola docet.

(Infra haec titulo interpositum est Henr. Stephani typographi Insigne.)

Ex Typographeo Henr. Stephani. | *Anno M. D. XCIIII.*

Hoc opus, quod ex Bibliotheca Mariana Halensi in manibus habeo, continet 137 plagulas, quarum duae priores nota (..), ceterae litteris A—Z, AA—YY, quarum quaeque tres plagulas (6 folia) complectitur, signatae sunt. Duo prima folia titulum

---

[1] An unus locus, qui prope finem praefationis legitur, sententiam meam supra propositam refellat, lectoris iudicio permitto. Verba huius loci sunt: „At hîc interim, locorum in quibus eadem vox legitur, fidelis recensio tibi datur. Ut autem nos tam fideliter erga te gerere possemus, (de me enim non minus quam de patre hîc loquor) unum idemque orationis seu membrum seu incisum exscribendum toties fere fuit quot in eo voces erant.“

sequentia exhibent Henr. Stephani dedicationem ad Principem Mauritium, Hassiae Landgravium, eiusque praefationem seu epistolam ad lectorem, folium subsequens album est. A fol. A 1 ordiuntur Concordantiae ipsae, A 2^a habet numerum superiorem 3, A 5^b 10, A 6^b—YY 6^a, in cuius medio opus finitur, numeros 12—535, ultima pag. vacat. Maxima pars paginae 534 et p. 535. continent Supplementa suis locis interserenda.

Prima Concordantiarum pagina sic inscripta est:

Recensio omnivm Test. Novi | locorvm, in qvibvs vnvm | et idem vocabulum legitur. | *vulgo dicta,* | *Concordantiae* | *Testamenti Noui.* | In his quid praestitum sit, praefixa ad lectorem epistola docet.

Huius operis paginae in tres columnas divisae sunt, quarum quaeque iterum in binas lineis separatas subdivisa est: unam angustam a sinistra positam, in qua capitum versuumque numeri afferuntur, alteram a dextra, multo latiorem, in qua voces graecae alphabetico suo ordine dispositae, quaeque cum latina interpretatione et subiunctis locis N. T., in quibus reperiuntur; supra eos in medio lineae liber biblicus, ex quo allati sunt, indicatur. Nomina propria, ubi inscriptiones sunt, litteris uncialibus, quae dicuntur, distincta sunt e. c. *Α῞ΒΕΛ*, ceterae voces inscriptae in primis 15 paginis nullam habent distinctionem, qua facilius cognoscerentur, pag. 16—20. eo distinguuntur, quod etiam secunda vocis littera maiori exprimitur, ut *ΑΓ῞γιος*, *ΑΓ᾿γιαλός*, *ΑἸδώς*, *ΑΙ῀μα*, inde a pag. 25., inde a verbo *Ἀκολουθέω* per totum opus eodem signo praefixo distinguuntur, quod in Betuleii Concordantiis adhibetur et ad illas supra p. LXVI. descriptum est. Etiam Nominibus propriis praefixum est.

De latina interpretatione, quae omnibus graecis vocibus (etiam Nominibus propriis), ubi inscriptionum instar afferuntur, addita est, Henr. Stephanus in illa praefatione refert haecce: „Adiungitur unicuique vocabulo et sua interpretatio Latina, aut, ubi unum plures habet, adiunguntur ei suae interpretationes, e doctissimis quibusque interpretibus: nonnullae etiam ex illa mea Testamenti

novi editione, cuius margini difficiliorum vocum atque loquendi generum expositiones adscripsi. Caeterum, ubi plures unius vocabuli proponendae fuerunt significationes, haec quam plurimis in locis adhibita cautio fuit, ut quae frequentius ibi occurrit (saepe autem eadem et apud profanos scriptores est usitatior) vel prior, vel, ubi plures sunt duabus, prima occurreret. Ob adiectas porro Latinas illas interpretationes, merito quis non Graecas tantum sed Graecolatinas habere se hoc in libro Concordantias dixerit."

Qui has Concordantias cum Betuleianis confert, inveniet interdum mutatum ordinem, e. c. *ἀγαθοεργέω* a Betuleio secundum alphab. seriem proxime post *Ἄγαβος*, in Steph. opere post *ἀγαθός* affertur; voces a Betuleio omissas in Steph. opere additas ut nomen *Ἀβιληνή*; persaepe locorum a Betuleio allatorum numerum in Steph. opere auctum, cuiusmodi exempla iam supra memoravi, quibus nunc addo *ἄβυσσος*, ubi Bet. 6 locos, Steph. 8 habet: *ἀγαλλίασις* Bet. 4, Steph. 5; at contrarium etiam occurrit, nam sub voce *ἀγαθωσύνη* (quod Betuleius falso *ἀγαθοσύνη* scripsit) Betuleius 4 locos affert, Stephanus tantum 3, omisso loco Ephes. 5, 9; item sub voce *ἀγανακτέω* Betuleius habet 7, Stephanus 6, omisit enim Matth. 21, 15. Praeterea voces quaedam, quas Betuleius recte suoque loco affert, in Steph. opere cum aliis confusae sunt, e. c. *ἁγνεία* castitas cum duobus locis et *ἄγνοια* ignorantia cum 4 locis a Betuleio recte suis locis afferuntur, in Steph. opere prior omissa est, eiusque duo loci falso sub voce *ἄγνοια*, quacum illa confusa est, allegantur.

Ab hoc exemplo transeo ad ea, quae Erasmus Schmidius in praefatione operis infra recensendi castigat his verbis: „At quo minus credam, Henricum Stephanum, virum citra omnem controversiam doctissimum, sua manu, propriâque operâ hasce Concordantias concinnasse, causae me movent non leves:

I. Imperita multorum similium vocabulorum confusio.

II. Negligens tot vocum, et ad eas singulas pertinentium locorum omissio, in paucis tamen ad inconvenientem vocem relatio.

III. Oscitans falsorum Thematum [ita enim iam singulas voces in capite locorum allegatorum positas appellare liceat] constitutio, quae plura sunt et rudiora, quam ut Stephano doctissimo ascribi queant."

Unamquamque harum castigationum confirmat permultis exemplis (hîc a me praetermissis), et denique addit: „Quae omnia simul considerata — — faciunt, ut mihi persuaderi non patiar, Henricum Stephanum (at quantum Virum!) tam multiplicium, crassorum, et in Viro non docto tantum, sed doctissimo, minime vel per febrim somniandorum, aut suspicandorum erratorum autorem esse. Potius [dicam ingenue quid sentiam, citra ullam labem tanti Viri, cui pro προδρομίᾳ in hoc genere, ingentes merito sunt agendae gratiae] existimo, optimum illum Virum, aliis curis et operis pluribus districtum, laborem has Concordantias concinnandi certis personis pro certo stipendio elocasse, eorum industriae minus industriae nimium fidisse, et ita sub suo nomine opus hoc edidisse."

Licet autem hoc opus multa contineat reprehendenda, unum tamen in Betuleii opere valde desideratum in hoc invenitur, quod propter magnum fructum lectori ex eo redundantem magna laude dignum est, nempe versiculorum numeri numeris capitum adscripti. Operae pretium est, de hac re, quae Roberto Stephano inventori debetur, ex Henrici Stephani praefatione eam partem h. l. afferre, in qua hoc patris inventum eiusque effectum enarrat. Verba eius haec sunt: „Ultimum autem quod [pater Robertus Stephanus] in eas [scil. sacras litteras], vel potius in earum lectores, contulit beneficium, minus aliis non fuisse qui iudicant, non insagaci esse iudicio videntur. Id cuius honorificam mentionem facio beneficium, illud est, quod quum Testamenti novi libri in Tmemata, quae Capita vulgo vocantur, divisi essent, ipse horum Tmematum unumquodque in Tmematia divisit, vel potius subdivisit: quae, appellatione ab aliis magis quam ab ipso probata, Versiculi vocata fuerunt. Nam ipsi vel Graeca illa voce Tmematia, vel Latina quae illi respondet, Sectiunculas, nominare magis placebat. Illam enim veterem Commatum in oratione appellationem (Ciceroni Incisorum)

ad alium restringi usum videbat. Verum, ut his paucis de nomine contentus sim, at de re ipsa plura dicam: initium a duobus sumam, quorum utrum magis mirari debeas dubitabis. Unum est, quod Lutetia Lugdunum petens, hanc, qua de agitur, Capitis cuiusque catacopen confecit, et quidem magnam eius, inter equitandum, partem: alterum, quod illum paulo ante de hac cogitantem, plerique omnes incogitantem esse aiebant: perinde ac si in re prorsus inutili futura, ideoque non tantum nullam laudem consequutura, sed in derisum etiam ventura, ponere tempus atque operam vellet. At ecce, contra eorum damnatricem instituti patris mei opinionem, inventum illud simul in lucem, simul in omnium gratiam venit: simulque in tantam autoritatem, ut quasi exautorarentur aliae Testamenti novi sive Graecae, sive Latinae, sive Gallicae, sive Germanicae, sive in alia vernacula lingua editiones, quae inventum id sequutae non essent."

Restat, ut huius operis initium tanquam eius specimen afferam.

A

Apoc.

1. 8 *Ἐγώ εἰμι τὸ A καὶ τὸ Ω*
1. 11 *λεγούσης ἐγώ εἰμι τὸ A καὶ τὸ Ω*
21. 6 *ἐγώ εἰμι τὸ A καὶ τὸ Ω*
22. 13 *ἐγώ εἰμι τὸ A καὶ τὸ Ω*

ἈΑΡΩΝ. Aaron.

Luc.

1. 5 *ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρὼν*

Act.

7. 40 *εἰπόντες τῷ ἀαρὼν, ποίησον*

Hebr.

5. 4 *καθάπερ καὶ ὁ ἀαρὼν*
7. 11 *οὐ κατὰ τὴν τάξιν ἀαρὼν*
9. 4 *καὶ ἡ ῥάβδος ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα*

Anno 1600 hoc opus cum supplemento recusum est Genevae typis Pauli Stephani, Fol., quod denuo 1624. ibidem prodiit Fol., sic inscriptum:

Concordantiae | Graecolatinae | Testamenti Novi.
Hac editione pleniores et vberiores | editae: dvcesqve ad veram vocvm illivs | interpretationem necessariae: necnon ijs quae in prima editione | ex supplemento petenda erant et ad calcem | reiecta, loco et ordine digestis.
In his qvid praestitvm sit, | praefixa ad Lectorem epistola docet. Editio Secvnda.
(Infra haec titulo interpositum est typographi Insigne, non idem prioris editionis, at ei persimile.)
Ex Typographia Petri et Iacobi Chouët. | M. DC. XXIV.

Haec editio, quam ex Bibliotheca Orphanotrophei Halensis in manibus habeo, continet 254 plagulas, quarum duae priores habent signaturam illi signo, quod Betuleius vocibus graecis praefixit, similem, ceterae litteris A—Z, Aa—Yy, AAa—ZZz, AAaa—PPpp, quarum quaeque 3 plagulas (6 folia) complectitur, signatae sunt. Paginae A 1a—PPpp 5b, in qua opus finitur, habent numeros superiores 1—1004. Ultimum folium PPpp 6 album est.— Folium secundum titulo proximum continet Henr. Stephani dedicationem ad Principem Mauritium, Hassiae Landgravium; folium tertium et superior pars prioris paginae folii quarti exhibet eiusdem praefationem seu epistolam ad lectorem, quae a priore editione eo tantum differt, quod ultimae 4½ lineae, in quibus Stephanus breviter indigitat, de quibus rebus in Appendice serius scribenda dicere velit, in hac editione apte omissae sunt. — In altera folii quarti pagina addita est Typographi praefatiuncula ad lectorem, in qua refertur, secundam nunc exhiberi editionem, quoniam opus desiderari coepisset; de eo, quod in hac nova editione praestitum sit, nonnisi hoc dicitur: ea Supplementa, quae ad calcem prioris editionis addita essent, in hac suis locis esse inserta, necnon locorum aliquot additione opus locupletatum. — Prima Concordantiarum pagina iisdem verbis ac in priore edit.; paginaeque omnes eodem modo divisae sunt et tota operis methodus est eadem ac in illa.

Multo maior plagularum numerus (254) huius editionis (prior habet 137) eum, qui utramque comparare nequit, facile in opinionem

seducat, secundam valde auctam esse; at maioris voluminis causa tantum in eo quaerenda est, quod totum opus multo maioribus typis est recusum, ita ut e. c. ea, quae in edit. 1. in col. 1. 2. primae paginae leguntur, in hac edit. 2. ultra tres columnas expleant.

3. Erasmi Schmidii.

Erasmus Schmid (natus 1560. 27. April. Delitzschiae, primum rectoratu Leutschaviae, Hungariae urbe, functus, postea Graecarum litterarum et Mathem. Professor Academiae Wittenbergensis dictus, ibique d. 15. Sept. 1637. mortuus est) post Concordantias modo recensitas suscepit novas concinnare, quamquam timebat, ne a multis reprehenderetur, quod post Henricum Stephanum idem conaretur. Ut talem arrogantiae accusationem prohiberet, in praefatione exemplis permultis declaravit, quale opus sit, quod Henricus Stephanus patris sui suoque nomine ediderit, quantos errores et quot omissiones contineat (vide supra p. LXXIII sq.), ex quibus recte argumentatur, virum doctissimum tale opus, quamvis praefatione sua id ornaverit, non sua manu, propriâque operâ concinnasse, se ipsum igitur minime praesumentiae temerariae esse accusandum, quod novum eiusmodi opus susceperit, in quo omnes illos errores evitaret et illic omissa suppleret. Quapropter optimo iure in consilio suo perstitit et triennii spatio hoc opus absolvit, addiditque praefationem ad lectorem, quam scribebat Wittenbergae ante diem 18. Octobris (Academiae Wittenbergensis natalem) a. 1636., suae aetatis anno 67. ad finem properante. Non vero ei licuit, hoc opus maximi laboris typis plene exscriptum videre; nam eo nondum in lucem emisso obiit d. 15. Sept. a. 1637. inter tempestates belli triginta annorum vehementissimas. Haeredes eius librum a. 1638. ediderunt formâ maximâ sub hoc titulo:

Novi Testamenti | Iesu Christi | Graeci, hoc est, originalis linguae | *ΤΑΜΕ῀ΙΟΝ* | [aliis Concordantiae] | hactenus usitato | Correctius, | Ordinatius, | Distinctius, | Plenius, | Iam dudum a pluribus desideratum: | Ita concinnatum, | ut et loca | reperiendi, et Vocum veras Significationes, |

et Significationum diversitates per Collationem investigan- | di, Ducis instar esse possit. | Operâ | Erasmi Schmidii, | Graec. L. et Mathem. Prof. | Cum gratiâ et Privilegio Elect: Saxon. | Wittebergae, | Impensis haeredum Clementis Bergeri | Bibliopol: | Ex Officinâ Typographicâ Jobi Wilhel- | mi Fincelii. | An. CIↃ IↃ CXXXVIII.

Huic pleniori titulo antecedit alter paulo brevior, in angustius spatium conclusus:

Novi Testamenti | Iesu Christi | Graeci, | hoc est Originalis | Linguae | *TAMEION* | [alijs Concordantiae] Hactenus usi- | tato | Correctius. | Ordinatius. | Distinctius. | Plenius. | Opera | Erasmi Schmidii. | Graec: et Math: Prof: Publ: | Cum gratia et Privilegio. | Wittebergae | Apud haeredes Clementis Bergeri. | *(subiuncto Bergeri sigillo).*

Hic alter titulus cinctus multis figuris, inter quas infra titulum conspicitur auctoris imago anno Aetat. 67. 1636 picta, aeri incisus est.

In libri calce legitur Clausula:

Wittebergae, | Impensis haeredum Clementis Bergeri | Bibliopol: | Ex officinâ Typographicâ Jobi Wilhelmi Fincelii, | Anno CIↃ IↃ CXXXVIII. *(Supra et infra haec verba posita sunt ornamenta typographica.)*

Hoc opus, quod in Bibliothecis Halensibus Academica, Orphanotrophei et Mariana atque in meis libris est, continet 170 plagulas, quarum duae priores nota):(, ceterae litteris A—Z, Aa—Zz, Aaa—Kkk, quarum quaeque 3 plagulas (6 folia) complectitur, signatae sunt. Opus ipsum finitur fol. Kkk 5^a, Kkk 5^b exhibet Clausulam, ultimum folium vacat. Numeris superioribus paginae omnes carent. — Fol.):(2^a—3^a exhibent Haeredum Erasmi Schmidii (ex eius voluntate factam) dedicationem ad Inclitum Senatum duarum celeberrimarum Civitatum Imperialium, Lubecensis, Hamburgensis; fol.):(3^b—4^b Auctoris praefationem ad lectorem, a. d. 18. Oct. 1636. scriptam, in qua de Henrici Stephani suoque opere disserit.

Concordantiae fol. A 1ª ordiuntur ab inscriptione: *TAMEION* omnium vocum | Novi Testamenti Graeci. — Singulae paginae eodem modo ac in Stephani opere in tres columnas aequales divisae sunt, quarum quaeque (sicuti in illo) in duas subdivisa est: unam angustam a sinistra, in qua indicantur capitum versuumque numeri librorum biblicorum, ex quibus loci afferuntur; alteram multo latiorem a dextra, in qua leguntur voces graecae et loci biblici, in quibus reperiuntur, supra inscriptis libris biblicis, ex quibus excerpti sunt. Quaeque harum latiorum columnarum binis (in Stephani opere modo binis, modo ternis) litteris initialibus vocum graecarum in ea allatarum inscripta est. — Voces graecae, quae thematum seu titulorum instar in his columnis alphabetico suo ordine proponuntur, si Nomina propria sunt, litteris uncialibus (fol. A 1ª—Q 5ᵇ minoribus, inde a fol. Q 6ª, a nomine *'ΕΛΙΣΑ'ΒΕΤ* maioribus), ceterae voces omnes maioribus typis a locis biblicis distinctae sunt; praeterea iis (etiam Nominibus propriis) praefixum est signum supra (p. LXVI.) ad Betuleii Concordantias descriptum, ita ut fere quaeque vox quaerenda facile inveniatur. — Libri biblici hic eodem modo ac in Stephani opere supra locos biblicos in medio lineae indicantur. — Latina interpretatio, quam Betuleius et Stephanus verbis graecis apposuerunt, in his non addita est.

Permagna sane Schmidii opera fuit in hoc libro conscribendo, multos errores editionis Stephanianae removit, multa istic omissa addidit; nihilominus ipse multos locos omisit;[1] alia quoque vitia sat multa irrepserunt eo procul dubio, quod ipse operis finem non vidit.

Loci, qui eisdem verbis ter vel quater vel pluries in N. T. leguntur, a Schmidio simpliciter notati sunt.

Pronomina et particulae ab eo partim prorsus omissae ut *ὁ, ἡ, τό, ὅς, ἥ, ὅ, δέ, καί,* partim non ipsis verbis allatis, sed locis solis citatis receptae sunt, ut *αὐτός, ἀλλά, γάρ, ἀμήν,* ubi hoc in sententiae initio legitur.

---

[1] Bruderus in praefatione operis sui illico recensendi p. VI. memorat, se praeter alia vitia ab ipso emendata plus quam octingentos textus recepti locos adhuc desideratos operi suo addidisse.

Quod ad verborum ordinem attinet, Schmidius singulas formas quarundam vocum separavit,[1] e. c. verbi substantivi formae *εἰμί, εἶ, ἐστί, εἰσί, ἔσομαι* etc. afferuntur sub littera *E*, sed ab invicem seiunctae e. c. *εἰσί* inter *εἰςέρχομαι* et *εἰςκαλέω*, formae *ἦν, ἤμην* sub *H*, *ὦ, ᾗς, ᾗ* etc. *ὤν* sub *Ω*. Sic series singularum formarum vocis *αὐτός* aliis vocabulis interpositis perrumpitur, e. c. formis *αὐτοῖς, αὑτοῖς* et *αὐτόν, αὑτόν* interpositae sunt voces *αὐτοκατάκριτος* et *αὐτόματος*; item formae pronominum personalium alia ab alia longe separatae sunt, e. c. *ἐμοί* post *Ἐμμόρ*, *μοί* post *μόδιος*, *ἐμοῦ* post *ἐμός*, *μοῦ* post *μόχθος*, *ἡμᾶς*, *ἡμεῖς* post *ἧμαι*, *ἡμῶν* post *ἡμιώριον*, *ἡμῖν* post *ἡμιθανής* proponuntur.

Speciminis instar idem initium ex hoc opere affero, quod ex duobus prioribus adscripsi:

A.

Apocal.

1. 8.
1. 11.
21. 6.
22. 13. } *Ἐγώ εἰμι τὸ A καὶ τὸ Ω.*

ἈΑΡΩ'Ν.

Luc.

1. 5. *θυγατέρων Ἀαρών*

Act.

7. 40. *εἰπόντες τῷ Ἀαρών*

Hebr.

5. 4. *καθάπερ καὶ ὁ Ἀαρών*
7. 11. *κατὰ τὴν τάξιν Ἀαρών*
9. 4. *καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρών*

Ex his quidem intelligitur, in Schmidii opere multa esse, quae emendatione egeant; attamen illo tempore tantam eamque iustam invenit approbationem, ut Ernest. Salom. Cyprianus (natus a. 1673. 22. Sept. Osthemiae, inde ab a. 1700. Director et Theol.

---

[1] Idem ubique fecit Seberus in Indice suo Homerico.

Prof. Gymnasii Casimiriani, quod Coburgi est, postea inde ab a. 1713. Gothae rebus sacris praeerat, mortuus est a. 1745. 19. Sept.)[1] hoc opus denuo typis excudendum curaverit anno 1717, nova praefatione addita, in qua de Concordantiis earumque usu quaedam disseruit. Inscriptio huius editionis haec est:

Novi Testamenti Graeci *Ταμεῖον*, aliis Concordantiae . . . opera Er. Schmidii, denuo revisum et ab innumeris mendis repurgatum. Accedit nova praefatio Ern. Sal. Cypriani. Gothae et Lipsiae 1717. Fol.

Ceterum nihil nisi antiquioris libri descriptionem a mendis nonnullis typographicis purgatam exhibuit; immo plurimos errores repetiit.[2] Denique memorandae sunt duae huius operis editiones Britannicae, quarum una, quae prodiit *Glasguae in Scotia anno* 1819, neque emendata neque aucta est, altera vero, quam Guilielmus Greenfield theologus Anglus curavit, sic inscripta:

Novi Testamenti *Ταμεῖον*... ex opera (opere?) Schmidii depromtum a Gu. Greenfield. Londini 1830. 16°.

valde decurtata est; nam ut materiam hac forma exigua comprimeret, primum omnia nomina propria (exceptis *Ἰησοῦς* et *Χριστός* nominibus), omnia pronomina, multas particulas et verbum substantivum *εἶναι* prorsus removit, deinde quum vocabulum plus quam quater vel quinquies non occurrerit, verbis omissis ad scripturae locos tantum retulit, (haec editor ipse in praefat. pag. IV. de sua methodo refert).

4. Caroli Hermanni Bruderi.

Carolus Hermannus Bruder (natus a. 1809. 12. Dec. Lipsiae, Philos. Doctor) longo tempore elapso suscepit, illud opus utilissimum studiisque theologicis maxime necessarium nostrae aetati

[1] Eius vitam descripsit Hirsching l. l. T. I. p. 346 sqq.

[2] Huius editionis, quam ipse nondum vidi, titulum et de ea iudicium, ex Bruderi praefatione l. p. V. exscripsi, item eandem ob causam ea quae illico de duabus Britannicis editionibus referam.

congruenter emendatum denuo edere. Cum enim Carolus Christianus Tauchnitius, typographus Lipsiensis clarissimus, qui mortuo patre editionem Concordantiarum in Veteris Testamenti libros Hebraicarum auctore J. Fuerstio (quas supra p. XLIII sqq. recensui) industrie continuavit et ad finem perduxit, inter media haec negotia etiam Novi Testamenti Graeci Concordantiarum novam editionem comparandi consilium caperet et Brudero hoc negotium demandaret, hic lubenter id suscepit et ita elaborare studuit, ut emendatum, auctum, Novi Testamenti hermeneutices et critices per duo saecula factis progressibus conveniens, atque omnibus aequis virorum doctorum votis respondeat.

Hoc opus splendidissimum a. 1842. forma quaternaria prodiit sic inscriptum:

ΤΑΜΙΕΙΟΝ | *ΤΩΝ ΤΗΣ ΚΑΙΝΗΣ ΔΙΑΘΗΚΗΣ ΛΕΞΕΩΝ* | sive | Concordantiae | omnium vocum | Novi Testamenti Graeci | primum ab Erasmo Schmidio editae | nunc | secundum critices et hermeneutices nostrae aetatis | rationes emendatae, auctae, | meliori ordine dispositae | cura | Caroli Hermanni Bruder | Phil. Dr. AA. LL. M. Societ. Hist. Theol. Lips. Sodalis. | Editio stereotypa. | Lipsiae | sumtibus et typis Caroli Tauchnitii. | MDCCCXLII.

Hoc opus, quod in Bibliotheca Academica Halensi exstat, continet 115 plagulas, quarum 5 priores litteris (A)—E, ceterae numeris 1—110 signatae sunt. Priorum paginae inde a folio tertio habent numeros superiores (III)—XXXVIII, ceterarum plagularum paginae, Concordantias ipsas exhibentes, supra habent numeros 1—878. Opus finitur in tertio folio plagulae 110, quartum eius folium ultimum vacat. — Folium, quod titulum proxime sequitur, continet auctoris dedicationem ad Ioannem [illo tempore] Ducem [nunc Regem] Saxoniae. In seqq. 18 foliis (pag. III—XXXVIII) legitur auctoris praefatio, in qua, praemissa brevi Concordantiarum Novi Testamenti graeci historia, novi operis sui rationem accuratissime exposuit.

Paginae ipsius operis in tres columnas lineis separatas divisae sunt, quarum quaeque (sola prima excepta) ternis litteris initialibus vocum graecarum in ea allatarum inscripta est. Voces graecae, quae thematum s. titulorum instar alphabetico suo ordine in medio linearum proponuntur, maioribus typis (praeterea Nomina propria initio littera unciali a ceteris vocibus distincta) distinguuntur a locis biblicis subiunctis, quorum cuique nomen libri biblici, et numeri capitis versusque, ex quo afferuntur, a sinistra praefixi sunt. Sub Nominibus propriis proxime addita est forma eorum hebraica seu chaldaica, aliis quoque vocibus graecis partim voces hebr., partim alia proxime subnotata sunt. — Bruderus magno apparatu critico instructus, in hoc opere conficiendo praesertim Novi Testamenti editione Griesbachiana minori altera, quae prodiit Lipsiae 1825. 8°, usus est, Schmidius autem in suo opere haud dubie Roberti Stephani editione eaque tertia Paris. anni 1550. Fol. usus erat. — Latina interpretatio vocibus graecis (aeque ac in Schmidii opere) non addita est.

In hoc Bruderi opere omnes voces graecae N. T., etiam pronomina et particulae ipsis verbis allatis in ordinem redactae sunt, tribus voculis exceptis, videlicet *ὁ, ἡ, τό* articulo, *ὅς, ἥ, ὅ* pronomine relativo, et *καί* copula, ad quas propter innumeram earum copiam non omnes loci, in quibus occurrunt, enumerati sunt, sed delectu adhibito hae voculae diversis sectionibus sunt tractatae.

Denique huius operis initium tanquam specimen affero. De scriptionis compendiis aliisque signis lectorem ad librum ipsum remitto, ubi in praefationis fine explicantur.

Α.

Apoc. 1, 8. *Ἐγώ εἰμι † τὸ Α καὶ τὸ Ω*
1, 11. [*ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω*] R.
21, 6. † *τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἡ ἀρχὴ κ. τὸ τέλος*
22, 13. † *τὸ Α καὶ τὸ Ω, ὁ πρῶτος κ. ὁ ἔσχατος.*
† Be. Kn. L. *τὸ ἄλφα.*

Ἀαρών.

אַהֲרוֹן Exod. 6, 20.

Luc. 1, 5. ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρών
Act. 7, 40. εἰπόντες τῷ Ἀαρών
Hebr. 5, 4. καθάπερ καὶ Ἀαρών
7, 11. κατὰ τὴν τάξιν Ἀαρών
9, 4. ἡ ῥάβδος Ἀαρών.

Praeter has Concordantias, quas ante oculos habeo, mentionem facio operis huiusce a Le Long l. l. p. 456. inter Concordantias graecas recensiti, mihi adhuc ignoti:

Concordantiae Graecae et Latinae Novi Testamenti ad vulgatam editionem Latinam accommodatae, et notis ad singula loca quae difficultatem facere possunt, illustratae. Auctore Francisco de la Nouë ex ordine Minimorum. *Bibl. Conventus Parisiensis.*

A Ge. Bened. Winero in l. *Handbuch der theologischen Literatur,* 3. edit. T. I. p. 127. recensetur hoc opus anglicum:

John Williams, LL. D., A Concordance to the Greek Testament, with the English Version to each Word; the principal Hebrew Roots corresponding to the Greek Words of the Septuagint, short critical Notes and an Index. London 1767. 4°.

Denique memoro huncce librum, ne quis titulo deceptus opinetur, eum ob festinationem aut inscitiam inter hebraicas et graecas Concordantias a me praetermissum esse:

Concordantiae | Bibliorum | Hebraico et Graeco- | Germanicae, | duabus partibus absolutae, | qvarum | Prior | Voces omnes Hebraicas et Chaldaicas | Veteris Testamenti, | Posterior | Voces omnes Graecas cùm Novi Testamenti | avthenticas, tùm in Apocryphis usurpatas, | et qvae in Versione LXX. | Interpretum leguntur, | utrobique cum significatis Germanicis | è versione B. Lutheri | ordine alphabetico recenset. | Magni Concordantiarum operis |

â | M. Friderico Lanckisch | conscripti | Epitome, | in qvâ qvid praestitum sit, praefatio declarat. | Lipsiae et Francofurti, | Sumptibus Haeredum Lanckisianorum, | Typis Christiani Scholvini, Anno 1680.

Hoc opus quaternariae formae, quod ex Bibliotheca Orphanotrophei Halensis in manibus habeo, continet 150 plagulas, quarum duae primae litteris a, b signatae praeter titulum exhibent de instituto et ratione operis praefationem ad lectorem, sequentes 52 plagulae litt. A—Z, Aa—Zz, Aaa—Fff signatae, pagg. 1—414 (Fff 3[b]) continent operis partem priorem inscriptam: Pars Prima. Voces Hebraicae cum significatis Germanicis e Versione Lutheri. In fol. Fff 4[a] legitur titulus partis II: Concordantiarum | Hebraico- et Graeco- | Germanicarum | Pars Altera | Voces Graecas cum significatis | Germanicis e Versione Lutheri | complexa. Hanc partem exhibent sequentes 96 plagulae litteris paulo minoribus A—Z, Aa—Zz, Aaa—Zzz, Aaaa—Zzzz, Aaaaa—Ddddd signatae, pagg. 1—768. Utriusque partis paginae in duas columnas divisae sunt, quarum quaeque inscriqta est in P. I. binis, in P. II. ternis litteris initialibus vocum illîc hebraicarum, hîc graecarum, quae in ea afferuntur. In P. I. leguntur voces hebr. alphabetico suo ordine digestae cum vocibus german., quibus Lutherus illas transtulit, in P. II. voces graecae alphab. suo ordine dispositae cum Lutheri interpretatione earum germanica.

Hoc opus excerptum quidem est ex Frid. Lanckischii Concordantiis germanicis infra recensendis, at minime ipsum *Concordantiarum* nomine suo iure significari potest, sed solo *Vocabularii* nomine. Lanckischius enim in Concordantiis suis cuique voci germanicae tituli instar propositae proxime subiunxit catalogum 1. vocum hebraicarum, quae in textu hebr., 2. vocum graecarum, quae illi in versione LXX Interpretum et in textu librorum apocryphorum et Novi Testamenti respondent. Voces hebr. signavit litteris graecis, voces graecas latinis. His litteris cuique loco biblico e Lutheri translatione germanica allato a dextra appositis indicat, quaenam vox hebr. et graeca in libris canonicis V. T.,

et quaenam graeca in libris apocr. V. T. et in libris N. T. germanicae Lutheri hoc loco respondeant. Quapropter locis librorum canonicorum V. T. duae eiusmodi litterae, graeca et latina, locis librorum apocr. et N. T. solae latinae a dextra appositae sunt. Ex his catalogis, qui in Lanckischii Concordantiis secundum alphabeticam seriem vocum germanicarum afferuntur, auctor huius operis, quod haud apte ipsum Concordantias appellavit, eius materiam desumpsit, eamque in P. I. secundum alphabeticum ordinem hebraicarum vocum, in P. II. secundum alphabeticum ordinem graecarum vocum disposuit, ita ut lector hoc opere doceatur, quanam varia ratione Lutherus singulas voces hebraicas et graecas transtulerit; locorum biblicorum vero nullus, neque ipsis verbis, neque nomine libri biblici et capitis versusque numeris in eo indicatur. Quam ob causam Concordantiis Bibliorum non est adnumerandum.

IV. Concordantiae Bibliorum latinorum.

Concordantias Bibliorum latinorum *primas* fuisse omnium, ceterasque ad earum imitationem factas, supra p. V sqq. dixi, et illic distinxi quatuor earum classes seu aetates:

primam Hugonis de S. Charo inventoris, qui solos Bibliorum locos sine verbis eorum ipsis indicavit;

secundam Anglorum, qui Bibliorum locis ab Hugone indicatis verba ipsa adscripserunt, eaque saepe prolixius, ita ut propter magna volumina harum Concordantiarum *Anglicanarum* eas recte *maximas* appellare liceat;

tertiam Conradi de Halberstat, qui auctor iudicatur resectionis, ubi in illis verba biblica nimis prolixe erant adscripta (cum qua resectione coniunxit distinctionem longiorum capitum et breviorum, quorum tantum illa in septem partes, haec autem in quatuor divisit et litteris distinxit). Hae Concordantiae propter earum formam leviorem deinceps fere ab omnibus acceptae *maiores* nominantur.

quartam Ioannis de Ragusio, longe post illas seculo demum XV. factam ab iis non maiori minorive *numero* verborum e locis biblicis allatorum, sed *classe* horum verborum differt. In illis enim tribus afferuntur praesertim voces flexibiles et quadam ex parte tantum etiam voces inflexibiles, in hac quarta vero solae particulae indeclinabiles in prioribus omissae. Quapropter hae Concordantiae nominantur *Concordantiae partium sive dictionum indeclinabilium.*

His iam supra accuratius expositis, nunc recenseo Concordantias Bibliorum latinorum *editas*, quas ipse in manibus habeo, secundum seriem annorum, quibus prodierunt; deinde addam alias a Le Long, Lipenio aliisque memoratas, quas nondum ipse vidi.

1. Concordantiarum Editio Io. Frobenii Basileae 1516. Fol.

Concordantie maiores cum | declinabilium vtriusque instrumenti tum indeclina | bilium dictionum. In quarum hac nouissima editione non modo numeri sunt infinitis pene | locis emendati: sed et capitibus nonnul- | lis bona pars accessit: vt silcatur | de illis que ex Septuaginta interpretum versione: dum opera diui Hierony | mi excuderentur | diligenter sunt | adscripta. | *(Infra haec titulo interpositum est Insigne Ioh. Frobenii typographi, cuius nominis siglae a sinistra* [IO.] *et a dextra* [FRO.] *appositae et praeterea a dextra quinque verba hebraica loci Psalmi* 125, 4., *ab imo ascendentia, a sinistra latina:* Prudens simplicitas amorque recti. *a summo descendentia, et partim supra, partim infra graeca loci Matth.* 10, 16: *Γίνεσθε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις | ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. apposita sunt.)*

Apud Inclytam | Germaniae Basileam | M. D. XVI.

Hoc opus formae maximae, quod ex Bibliotheca Orphanotrophei Halensis in manibus habeo, continet 219 plagulas litteris a—z,

A—Z, aa—ff, AA—PP signatas, quarum a, ff, Aa quaternas plagulas (8 folia), ceterae ternas (6 folia) complectuntur. Paginae superioribus numeris carent. — In pagina tituli aversa legitur Io. Frobenii epistola ad Theologiae studiosum scripta Basileae IV. idus Martias 1516 latinis typis exscripta. In seq. folio a 2 ordiuntur Concordantiae ipsae germanicis typis exscriptae, quarum singulae paginae divisae sunt in tres columnas non lineis, sed solo spatio interposito ab invicem seiunctas. Hae columnae binis litteris initialibus vocum in iis allatarum inscriptae sunt. Prima columna fol. a 2ª orditur ab illa praefatiuncula Concordantiis tertiae classis praefixa (supra p. X. a me allata): „Cuilibet volenti requirere — — protendatur.“, qua lector monetur, in his non, sicuti in prioribus Concordantiis factum sit, omnia capita, sed tantum longiora in septem particulas litteris a—g, breviora vero in quatuor particulas litteris a—d distincta esse. Secundum hunc modum loci biblici a sinistra ipsorum verborum sigla libri biblici, numero capitis, et una illarum 7 aut 4 litterarum capitis particulam significantium indicantur. — Voces latinae, quae titulorum instar alphabetico suo ordine afferuntur, multo maioribus typis a locis biblicis subiunctis distinguuntur. — In fine tertiae columnae folii ff 7ᵇ leguntur: Concordantie dictionum declinabilium omnium vtriusque instrumenti librorum Finis. Basilee in edibus Joannis Frobenij Hammelburgensis. Mense Martio. AN. M. D. XVI. In seq. pagina (fol. ff 8ª) in 4 columnas divisa exhibetur Totius operis ternionum index, fol. ff 8ᵇ vacat.

Subsequens folium (AA 1) in priori pagina praebet hunc titulum permagnis typis germanicis exscriptum:

Concordantie partium | siue dictionum | inde | clinabilium toti- | us Biblie.

In seqq. duabus paginis (fol. AA 1ᵇ—2ª) affertur latinis typis impressus Prologus ille, de quo supra p. XII dixi, sic inscriptus: Sacrae paginae Doctoris eximii Ioannis de Secubia in Concordantias partium sive dictionum indeclinabilium prologus. ¶In seq.

pagina (fol. AA 2b) in sex columnas divisa, et inscripta: „Annotatio partium seu dictionum indeclinabilium inquirendarum in sequentibus concordantiis.“ alphabetico ordine afferuntur 377 voces, ad quas sequentes Concordantiae Ioannis de Ragusio, a Ioanne de Secubia cum illo prologo primum editae pertinent. Hae Conc. item germanicis typis exscriptae ordiuntur in seq. fol. AA 3. Earum paginae in tres columnas eodem modo ac in praecedente parte sunt divisae, quarum autem quaeque non, sicut in illa, litteris initialibus, sed integra voce in ea allata inscripta est. Prima columna folii AA 3a orditur ab hoc titulo: Concordantie Biblie partium sive dictionum indeclinabilium: a prestantissimo viro magistro Johanne de Secubia: sacre pagine doctore eximio: in concilio Basiliensi Anno domini Millesimo quadringentesimo tricesimo edite: feliciter incipiunt. Loci biblici in his Conc. eadem ratione indicantur ac in praecedentibus. Hoc alterum opus finitur fol. pp 6a med., ubi in tertia columna infra locos biblicos haec leguntur: Concordantie dictionum indeclinabilium: omnium utriusque instrumenti librorum: Finis. Basilee in edibus Joannis Frobenij. Mense Maio. Anno M. D. xvj. Subiunctum est indiculum de componendis chartis huius alterius operis. Ultima pagina fol. pp 6b vacat.

Addo tanquam specimina brevia utrarumque Concordantiarum initia, 1) priorum:

A a

Hiere. 1. b.	A a a domine deus ecce nescio loqui.
14. b.	prophete dicunt eis.
Ezech. 4. d	domine deus anima mea non est.
20. g	domine deus ipsi dicunt.
Johel. 1. d	dixi: quia prope est dies domini.

2) posteriorum:

A

Gen. 1. a	Divisit lucem a tenebris.
3. b	abscondit se adam et uxor eius a facie domini.
4. c	egressusque cain a facie domini.
6. a	isti sunt potentes a seculo &c.
ibid.	delebo inquit hominem quem creavi a facie etc.

2. Concordantiarum Editio Io. Frobenii. Basileae 1521. Fol.

Concor | dantiae maiores, cvm | declinabilivm, vtri | vsqve instrvmen | ti, tvm indecli- | nabilivm di- | ctionvm: | *(Infra haec titulo interposita est tabula quadrata, in qua conspicitur Insigne Frobenianum aliis figuris cinctum.)* | Apvd Inclytam | Basileam. | M. D. XXI. *Hic titulus figuris ligno incisis cinctum est.*

Haec Editio, quam ex Bibliotheca Mariana Halensi in manibus habeo, priori Editioni simillima est; nam eundem plagularum iisdem litteris signatarum numerum continet et tota eius ratio ac paginarum divisio eadem est, item paginae numeris superioribus carent. Io. Frobenii epistola (lat. typis impressa) ad theologiae studiosum, quae hîc quoque in pagina tituli aversa legitur, h. l. sic finitur: Basileae Sexto calend. Maias. Anno a Christo nato, M. D. XXI. Prima columna primae paginae (fol. a 2[a]) operis item germanicis typis exscripti orditur ab eadem praefatiuncula ac prior: „Cuilibet volenti requirere etc.“ Fol. ff 7[b] finitur tertia columna his verbis: Declinabilium dictionum concordantie Finis. In seq. pagina fol. ff 8[a] Totius operis ternionum index proponitur; fol. ff 8[b] vacat.

In subsequenti pagina fol. AA 1[a] legitur alterius partis titulus magnis litteris versalibus exscriptus:

Concordan | tiae partivm sive | dictionvm inde- | clinabilivm | totivs Bi- | bliae.

Duae paginae sequentes, fol. AA 1[b] — 2[a] exhibent eundem Ioannis de Secubia prologum ac prior Ed., et fol. AA 2[b] in sex columnas divis. eandem Annotationem partium seu dictionum indeclinabilium. Haec quoque altera pars, quae in fol. AA 3 incipit, germanicis typis exscripta est, eiusque paginae in tres columnas divisae sunt, quarum quaeque integra voce ibi allata inscripta est. Prima columna folii AA 3[a] habet eundem titulum ac in priori Ed. Hoc opus finitur fol. pp 6[a] med. in tertia columna hâc Clausulâ: Basileae per Ioannem Frobenium, Mense Maio. Anno M. D. XXI. Subiunctus est Index paginarum. In ultima pagina, fol. pp 6[b] exhibetur magnum Insigne Frobenianum.

3. Concordantiarum Editio Seb. Gryphii. Lugduni 1545. 4°.

Concordan | tiae maiores sacrae | Bibliae, | Summis uigilijs iam denuo ultra omnes | editiones castigatae. | *(Infra haec titulo interpositum est Gryphii typographi Insigne, cui a sinistra adscripta sunt ascendente serie verba:* Virtvte Dvce, *a dextra, descendente serie:* Comite Fortvna.) | Lvgdvni apvd Seb. | Gryphivm, | M. D. XLV.

Haec Editio, quam ex Bibliotheca Orphanotrophei Halensis in manibus habeo, continet 125 plagulas litteris a—z, A—Z, AA—CC, aa—nn signatas, quarum CC et nn 2½ plagulas (10 folia), ceterae binas (8 folia) complectuntur; paginae numeris superioribus carent. Pagina tituli aversa vacat. Paginae in tres columnas non lineis, sed spatio interposito separatas divisae sunt, quarum quaeque binis litteris initialibus vocum in ea allatarum inscripta est. Voces, quae titulorum instar in medio lineae alphabetico suo ordine afferuntur, maioribus typis a locis biblicis distinctae sunt. Loci biblici a sinistra ipsorum verborum eadem ratione ac in prioribus Editt. nomine libri biblici, numero capitis et una litterarum a—g aut a—d capitis particulas significantium indicantur. Prima operis pagina a 2ª orditur ab illa praefatiuncula: „Cuilibet volenti inquirere etc.“ inscripta: Ad lectorem. Prior huius operis pars finitur in tertia columna verbis: Concordantiarum maiorum finis.

Altera pars habet (fol. aa 1ª) hunc peculiarem titulum:

Alter Concordantia- | rvm sacrae Bi- | bliae to- | mvs, | Qvi est | Partium, siue, Dictionum inde- | clinabilium. | *(Infra haec idem Insigne cum iisdem verbis appositis ac in priori tomo, titulo insertum est.)* | Lvgdvni apvd Seb. | Gryphivm, | M. D. XLV.

Pagina huius tituli aversa (Prologo illo, qui in prioribus editionibus hunc titulum proxime sequitur, omisso) exhibet Indicem dictionum Indeclinabilium, quae in hac secunda parte Concordantiarum ponuntur. In fol. aa 2ª ordiuntur hae Concordantiae, quarum paginae item in tres columnas divisae sunt, quarum quaeque integra voce ibi allata inscripta est. Loci biblici eadem ratione ac

in priori parte indicantur. Prima columna primae paginae incipit a titulo: Concordantiarvm Bibliae pars secunda, partes, seu dictiones indeclinabiles complectens. Hic alter tomus finitur fol. nn 10[a] in tertia columna verbis: Indicis Dictionum indeclinabilium, omnium utriusque instrumenti librorum. Finis. Ultima pagina fol nn 10[b] vacat.

Speciminis instar affero initium prioris tomi:

Aa

Hiere. 1 b	Aaa domine deus ecce nescio loqui
14 b	aaa prophete dicunt eis
Ezech. 4 d	aaa domine deus anima mea non est p.
20 g	aaa domine deus ipsi dicunt
Iohelis 1 d	aaa diei: quia prope est dies d.

Initium alterius tomi a specimine supra ex Ed. Basil. a. 1516 allato praeter typos latinos, quibus in hac Ed. exscriptum est, solo errore typographico numeri differt; illic enim ad verba: „isti sunt potentes a seculo“ recte adscriptus est locus Gen. 6 a, in hac vero Ed. legitur falso: Gen. 9 a.

4. Concordantiae Rob. Stephani. Parisiis 1555. Fol.

Concordantiae Bi- | bliorum vtriusque Testamenti, Vete- | ris et Noui, | nouae et integrae.

Quas re vera Maiores appellare possis.

R. Stephanvs Typographis.

Aequos et innocuos vos praebete ὁμοτέχνῳ ὑμῶν, rogo atque obsecro. | Privilegivm ipsi vltro ad annos aliquot irrogate, vt messi alienae parcatis. | Coepta, necdum expolita, meliora facere et perficere sinite, | vobis in tempore profutura. | *(Infra haec titulo interpositum est Insigne Rob. Stephani.)* | Oliva Rob. Stephani | M.D.LV.

In libri fine legitur Clausula:

Excvdebat Robertvs Stephanvs in | sva officina anno M. D. LV. | VII. Cal. Febr.

Hoc magnum opus, quod ex Bibliotheca Mariana Halensi in manibus habeo, continet 274 plagulas litteris a—z, aa—zz, A—Z signatas, quarum duae ultimae Y, Z ternas (6 folia), ceterae quaternas plagulas (8 folia) complectuntur. Paginae numeris superioribus carent. Opus finitur fol. Z 6[a] subiunctâ Clausulâ, Z 6[b] vacat.

Priusquam huius operis rationem breviter describo, operae pretium esse iudico, integram R. Stephani praefationem in pagina tituli aversa propositam h. l. afferre, ex qua lector cognoscat, quid in eo praestitum sit.

Christiano Lectori R. Stephanus.

Bene habet, Christiane Lector, quod tam humanos creditores nactus sim, qui ut in tempore nomina dissolverem, tam patienter expectarunt. Decem et octo ab hinc annos quum inter Sacrarum literarum studiosos de Bibliorum Concordantiis sermonem haberemus, et inter nos laudaretur (ut sane laude dignum est) studium ignoti illius veterum Concordantiarum scriptoris, non defuerunt qui quererentur omissa esse plurima, atque adeo tam multa ut decimum quodque vocabulum reperiri vix posset. Ibi mutuo sese cohortantibus singulis ut aliquando mutilum opus absolveretur: onus vero detrectantibus, quod neque usum conficiendarum huiusmodi rerum haberent, neque laboribus tam molestis assuessent: tum me obnixe rogant ut provinciam illam subirem. Quod libens in me recipio: non quidem ut opus inchoatum perficerem, sed novum prorsus ederem statim atque Dominus requiem mihi ullam praestaret. Qua in re praestanda tamdiu cunctari, quum fides mea obstricta esset, non minori mihi molestiae fuit et solicitudini, quam si grave aeris alieni onus humeris meis incumberet. Videbam enim quam necessarium esset opus non modo omnibus publice, sed et mihi privatim: cui in horas quaerenda essent quae memoria mea exciderant, nec in illis Concordantiis vetustis reperiri facile possent. Ac praesentem maxime huius adminiculi usum mihi videbam esse in texendo opere illo quod in manibus habemus, Glossae interlinealis et ordinariae, quam vocant: cuius specimen aliquod iam editum est. Ne autem existimes, Lector, nihil a me novi supra

aliorum industriam fuisse praestitum cur merito Concordantias maiores inscriberem: experientia ipsa tibi probabit, quam procul absim ab eorum vanitate qui titulis inanibus fucum hactenus in hoc lucubrationis genere fecerunt. Scito itaque non tantum exemplaribus ante editis me curasse addendum quod deerat: sed de integro ex continua Bibliorum lectione novum confectum esse volumen: ac singula vocabula, etiam propriorum nominum, quoties illic occurrunt, fuisse toties descripta nisi quid scribas meos fugerit, quod profecto fieri aliter vix potuit in opere tanto ac tam laborioso. Caeterum quod ad particulas indeclinabiles spectat, quia minor erat earum usus, consulto in ipsis recitandis fui parcior: saltem non tam curiose eas sumus persecuti, nec tamen prorsus contempsimus. Porro in operis novitate haec quoque pars aliquid laudis meretur, quod praeter literas illas marginales consuetas, A B C D E F G, in quas prior ille Concordantiarum author singula capita partitus est, habebis numeros versuum cuiusque capitis post illas literas adscriptos iuxta rationem Hebraicam, hoc est, ut Hebraei versus suos numerant. quos ideo adiecimus ut promptius atque expeditius quod quaesieris reperias, et operi pulcherrimo ac praeclarissimo quod nunc cudimus, aptius inserviant. Consilium quoque fuit Hebraicae linguae studiosos iuvare, quibus ne Concordantiae quidem Hebraicae (quarum sumus rationem insecuti) omnia oculis obiiciunt. Quo vero praesentiorem commoditatem ex his versuum numeris percipias, Biblia iuxta veterem interpretem excudimus, in quibus versus illi distincti, ac numeris notati atque insigniti sunt. Quod si quos depravatos forte deprehenderis, confer te ad aliam atque aliam eiusdem loci voculam quaerendam: facile erit hoc pacto corruptos emendare. Desiderabis (non dubito) etiam recentiorum interpretum vocabula. At constitutum aliquid esse oportet prius. Conquiesce paulisper: recipimus et quod cupis facturos, simul atque quod praelis nostris paratur atque adornatur, perfectum fuerit, nisi forte eorum qui alienis laboribus nimis cupide insidiantur, improbitas et avaritia conatus nostros impedierit. Sed iam ut te alacriorem dimittam, in Novum testa-

mentum Graecum Graecas item Concordantias propediem tibi me exhibiturum per Dei gratiam spondeo, quae vice dictionarii Graeci in ipsum Novum testamentum esse poterunt. Interea vale, atque Deum patrem nostrum Christi filii sui nomine precare, ut nobis pariter animos adaugeat, et Spiritu prudentiae ac rectitudinis gubernet ad persequendum in Sacris suis oraculis studii nostri cursum. Amen. Ex nostra officina, Anno M. D. LV. X. Cal. Feb.

Hoc opus valde minutis typis exscriptum est. Eius paginae singulae in quatuor columnas non lineis, sed spatio interposito seiunctas divisae sunt, quarum quaeque plurimum tribus litteris initialibus vocum in ea allatarum inscripta est. Voces, quae titulorum instar alphabetico ordine in medio lineae proponuntur, non maioribus, sed potius minoribus typis exscriptae sunt, quam verba locorum biblicorum iis subiuncta, a quibus eo tantum distinguuntur, quod litteris versalibus expressae sunt. Loci biblici, quorum verba afferuntur, his verbis a sinistra adscripti indicantur 1) nomine libri biblici, 2) numero capitis eius, 3) unâ litterarum a — g particulas capitis significantium, 4) numero versus,[1] quod non solum in praefatione modo allata indicatur, sed etiam hacce primae paginae inscriptione: Concordantiae Bibliorum utriusque Testamenti, Veteris et Novi, novae et integrae: numero versuum post literas A B C D E F G sectionum cuiusque capitis indices, adscripto.

Quod in hoc opere Particulae, quatenus receptae sunt, non, sicuti in prioribus, in peculiari opere, sed cum ceteris vocibus coniunctim alphabetico omnium vocum ordine afferuntur, prima operis columna orditur a praepositione *a*, cuius loci biblici ultra 18 columnas explent; quapropter speciminis instar non primam huius operis, sed tertiam vocem affero, eandem, quam ex prioribus adscripsi.

---

[1] Eiusmodi capitum divisio per litteras et versuum numeros invenitur quoque in recentiori editione Bibliorum sacrorum Vulgatae Editionis, quae Francofurti ad M. 1826. 8⁰ mai. prodiit.

AAA

Ierem. 1.	b.	6	Aaa Domine Deus, nesc.
14.	b.	13	Aaa Domine Deus pro.
Ezec. 4.	d.	14	Et dixit, Aaa Do. Deus
20.	g.	49	Et dixi, Aaa Dom. Deus.
Ioel 1.	d.	15	clamate ad Do. Aaa diei.

5. Concordantiarum maiorum cum declinabilium tum indeclinabilium dictionum Editio Ioh. Hervagii. Basileae 1561. Fol.

Sacrorvm vtri- | usque Testamenti librorum ab- | solutissimus Index, quas | Concordantias maiores | vocant, tv vel maximas | appelles, licet. | *(Infra haec titulo interpositum est Hervagii Insigne.)* | *Basileae, per Ioannem Her- | uagium, Anno M. D. LXI.*

Hoc opus, quod ex Bibliotheca Mariana Halensi in manibus habeo, continet 450 plagulas litteris a—z, A—Z, Aa—Zz, Aaa—Zzz, AAaa—ZZzz, AAaaa—IIiii, AA—ZZ, AAa—CCc signatas, quarum quaeque 3 plagulas (6 folia) complectitur. Paginae superioribus numeris carent. — In pagina tituli aversa exhibetur Io. Hervagii epistola ad lectorem, scripta Basileae 1561. Calendis Martii, ex qua hancce partem mediam affero: „—In quibus maxime laudandi sunt, qui id ipsum in sacris utriusque testamenti libris praestare conati sunt eo opere, quod Concordantias maiores appellarunt. Has enim cum tenui admodum rivo ante decurrerent, Ioannes Hervagius pater meus, sua et opera et impensis, innumeris prope verbis adauxit, et copiosius ut affluerent sacrarum literarum studiosis, effecit: sed laboris et impensarum fructum solus percipere non potuit. illico enim qui eius in messem manum immitterent, et idem opus aliquo modo interpolatum ederent, inventi sunt, nulla eius industriae facta mentione. Quamobrem, nos eas postliminio redeuntes, recepimus, et patenti atque perámplo redundantique alveo confluentes, tanta videlicet accessione (ut vides) facta, in tuum maximum commodum humanissime Lector emittimus: hoc tibi confirmantes, tantam, tamque scrupulosam fuisse colligendi diligentiam, ut parva posthac, vel nullâ potius

fieri accessio posse videatur. Morem tamen nostrum secuti, Indeclinabiles, quas dicunt, a declinabilibus seiunximus: ut binis voluminibus sacram materiem omnem distinctam haberes, nulloque errore confusam. Ut autem tibi omnia essent proniora, versuum quoque numerum adiecimus."

Concordantiae ipsae in fol. a 2a ordiuntur ab hac inscriptione: Partium declinabilium utriusque Testamenti Index accuratissimus, in quo prior numerus caput: literae, capitis partes: numeri, qui literam sequuntur, versum indicant. — Paginae singulae in tres columnas non lineis, sed spatio interposito separatas divisae sunt, quarum quaeque plurimum tribus litteris initialibus vocum in ea allatarum inscripta est. — Voces, quae titulorum instar alphabetico ordine in medio lineae proponuntur, non maioribus typis, sed litteris versalibus a verbis locorum biblicorum subiunctis distinguuntur. Loci biblici, ex quibus verba afferuntur, 1) nomine libri biblici, 2) numero capitis, 3) una litterarum a — g particulas capitis significantium, 4) numero versus (aeque ac in Rob. Stephani opere) indicantur. — Hic Index partium declinabilium finitur fol. IIiii 4b med., duo subsequentia folia IIiii 5. 6. alba sunt.

Sequens pagina AA 1a continet huncce titulum alterius Indicis:

Partivm, sive Di- | ctionum indeclinabilium, utriusque | Testamenti, absolutissi- | mus Index.

Basileae, M. D. LXI.

Altera huius folii pagina vacat. Seq. fol. AA 2a orditur ab hac inscriptione: Partium indeclinabilium utriusque Testamenti Index, in quo prior numerus caput: literae, capitis partes: numeri, qui literam sequuntur, versum indicant. — Ratio huius alterius partis eadem est ac prioris. Finitur fol. CCc 4b med. Sequens pag. CCc 5a in medio exhibet hanc Clausulam:

Basileae, | per Ioannem Herva- | givm.

Duae sequentes pagg. CCc 5b — 6a vacant, ultima pag. CCc 6b in medio continet idem Hervagii Insigne, quod titulo generali interpositum est.

Speciminis instar propono prioris partis initium:

A A

A et *Ω*

Apoc. 1. b. 8 ego sum *α* et *ω*.
21. b. 6 ego sum *α* et *ω*.
22. c. 13 ego sum *α* et *ω*.

6. Concordantiae a Theologis Coloniensibus revisae et auctae. Coloniae 1663. Fol.

Concordantiae | Bibliorvm | Iuxta | exemplar Vulgatae editionis | Sixti V. Pontificis Max. | iussu recognitum, | et | Clementis VIII. auctoritate | editum. | Novo studio et industria | Theologorum Coloniensium | Revisae, emendatae et auctae. | *(Infimo loco, figuris interpositis)* Coloniae Vbiorum, | Sumptibus Ioannis Friesenhagen excudebat Petrus Hilden Anno MDCLXIII. | Cum privilegio S. Caes. Maiestatis.

Hic titulus non typis exscriptus, sed una cum multis figuris eum cingentibus aeri incisus est. — Haec Editio, quam ipse possideo, non est prima Coloniensis, sed ex ea, quae annis circiter triginta ante a Theologis Coloniensibus emendata et aucta Coloniae excusa erat, typis accuratius repetita est. Continet 182 plagulas, quarum duae priores asterisco, ceterae litteris A—Z, Aa—Zz, Aaa—Zzz, Aaaa—Xxxx signatae sunt, quarum quaeque duas plagulas (4 folia) complectitur. Paginae superioribus numeris carent.

Fol. * 2a—3a exhibet Ioannis Friesenhagen dedicationem operis ad Maximilianum Henricum Archiepiscopum Coloniensem et Electorem, fol. * 3b Privilegium Caesareum Petro Hilden a. 1660 datum, fol. * 4 Attestationem Facultatis Theol. eiusdem anni, Censoris concessionem, ut hic liber iterum imprimatur, et brevem praefationem ad lectorem, subiunctis duobus epigrammatis. — Prima ipsius operis pagina sic inscripta est: „Concordantiae Bibliorum Sacrorum Vulgatae Editionis Sixti V. Pont. Max. iussu recognitorum atque editorum. Numerus versuum, post litteras A B C D E F G

indices Sectionum cuiusque capitis, adscriptus est." — Paginae singulae in quatuor columnas non lineis, sed spatio interposito seiunctas divisae sunt, quarum quaeque tribus, nonnullae duabus aut quatuor litteris initialibus vocum in ea allatarum inscripta est. Voces titulorum instar in medio lineae alphabetico ordine propositae a verbis locorum biblicorum non maioribus typis, sed tantum litteris versalibus distinguuntur. Loci biblici in his Concordantiis (aeque ac in duabus praecedentibus) nomine libri biblici, numero capitis, una litterarum a — g particulas capitis significantium et numero versus indicantur. Hoc opus finitur fol. Xxxx 4a, ultima pagina vacat. — In hoc libro particulae non seiunctim a ceteris vocibus afferuntur, sed in eadem vocum serie, at non omnes receptae sunt, e. c. praepositiones a, ab, e, ex desiderantur. — Initium harum Concordantiarum: A et O a specimine, quod supra p. XCVIII attuli, nullo modo differt, quapropter h. l. omittitur.

7. Concordantiae nova methodo adornatae opera Patrum Monasterii Wessofontani. Augustae Vindelicorum 1751. 2 Voll., Fol.

Repertorium | Biblicum, | seu | Concordantiae | S. Scripturae | utriusque Testamenti, | juxta | exemplar Vulgatae editionis | Sixti V. Pont. Max. | jussu recognitum, | et | Clementis VIII. | authoritate editum, | nova methodo | ordine commodius, sensu plenius, usu expedi- | tius adornatae | opera et studio | religiosorum Patrum | Ordinis S. Benedicti, antiquiss. et exempti | Monasterii Wessofontani, | exemptae sub titulo SS. Angel. Custodum | Congregationis Benedictino-Bavaricae: | opus | omnibus SS. Litterarum studiosis, Divini Verbi praeconibus, SS. | Theologiae doctoribus, ascetis, animarum pastoribus utilissimum, | cum praefatione | ad intelligendum laboris hujus finem, et usum necessaria, | et privilegio Sacrae Caesareae Majestatis ac facultate Superiorum. | Augustae Vindelicorum et Graecii, | Sumptibus Iacobi Philippi Veith et Wolff Bibliopolarum. | A. MDCCLI.

Huic folio, in cuius priori pagina titulus modo descriptus legitur, antecedit aliud, in cuius antica parte tabula aeri incisa exhibetur depingens papam ornatu suo in solio sedentem, cui, circumstantibus angelis, Concordantiae Wessofontanae offeruntur. — Haec prior pars continet 345½ plagulas, quarum duae primae una cruciculа, seqq. duae duabus, quinta tribus, sexta dimidia quatuor cruciculis, ceterae litteris A — Z, Aa — Zz, Aaa — Zzz, Aaaa — Zzzz, Aaaaa — Zzzzz, Aa aa aa — Zz zz zz, Aa aa aa a — Zz zz zz z, Aa aa aa aa — Ii ii ii ii signatae sunt, quarum quaeque duas plagulas (4 folia) complectitur. Superioribus numeris paginae carent. — Tria folia titulo proxima continent Bedae Abbatis dedicationem operis (in illa tabula depictam) ad Benedictum XIV. Pont. Max.; subseq. folium exhibet huius Papae Breve apostolicum ad Bedam Abbatem, in duobus seqq. leguntur Approbatio Censoris, Approbatio Congregationis Benedictino-Bavaricae etc., et Censura Franc. Salesii Gailler; tria seqq. continent Praefationem ad Lectorem, in qua huius operis novi methodus in 3 §§. exponitur, addita Admonitione de erratis. — In seq. fol. A 1a orditur opus ipsum ab hac inscriptione: „Concordantiae Bibliorum Sacrorum, juxta Vulgatae editionis exemplar Sixti V. Pont. Max. jussu recognitum editumque, Pleniore sensu, et commodiore methodo concinnatae.“ — Haec pars complectitur voces a litteris *A* – *L* ordientes. — Altera huius operis pars, eodem titulo ac prior (excepta tabula illic praefixa) instructa continet (praeter tituli folium) 314 plagulas litteris (A) — (Z), (Aa) — (Zz), (Aaa) — (Zzz), (Aaaa) — (Zzzz), (Aaa aa) — (Zzz zz), (Aa aa aa) — (Zz zz zz), (Aa aa aa a) — (Tt tt tt t) signatas, quarum ultima signatura unam plag. (2 folia), ceterae binas (4 folia) complectuntur. Haec pars continet voces a litt. *M* — *Z* ordientes.

Huius operis voluminosi immensoque labore concinnati, quod ipse possideo, nova methodus praesertim in hisce consistit:

1) Cum antiquae Concordantiae plerumque contentae sint aliquot tantum verbis sine sensu positis, in his semper aut plenus aliquis sensus aut constructio talis invenitur, quae facile in totius sensus notitiam deducat.

2) Ne vocabuli alicuius saepissime in Bibliis occurrentis totus articulus sit perlegendus ei, qui quandam huius formam quaerit, verborum et nominum singulae formae, quas coniugatione, declinatione, generum motione, comparatione induunt, distinctae sunt.

3) Brevitatis studio *a*) hae flexionis formae non integre afferuntur, sed solae partes extremae, e. c. sub verbo *Abbrevio* formae *Abbrevians*, *Abbreviatus est* etc. solis syllabis *ans*, *atus est* etc. indicantur; eadem ratione e. c. sub nomine *Dominus* singuli casus sic notantur: *ni*, *no*, *num*, *ne*, *no*, *ni*, *norum*, *nis*, *nos*, *ni*, *nis* pro *Domini*, *Domino* etc. In nominibus propriis, maxime hebraicis, ut Aaron, Abraham, Absalom aliisque indeclinabilibus casus per numeros romanos significantur, ut per II Genitivus, per III Dativus etc. *b*) In locis biblicis, qui his singulis flexionis formis subiuncti sunt, non vocis forma quae in titulo indicatur, ipsa ponitur, sed eius loco asteriscus, ideoque ubi titulus e. c. *Dominus* est, in locis biblicis ei subiunctis * significat *Dominus*, donec devenitur ad alium eius casum e. c. *ni*, tunc in locis biblicis subiunctis asteriscus significat *Domini*, ut: *verbo *coeli firmati sunt* i. e. verbo Domini coeli firmati sunt. Hac ratione omnes voces titulorum instar propositae in locis biblicis, qui iis subiuncti sunt, asterisco indicantur.

4) Eodem brevitatis studio a) quaedam voces siglis notantur, quarum significatio in praefatione docetur;

b) particulae *enim*, *ergo*, *igitur* etc. pluribus locis omissae sunt;

c) particulis *et*, *que*, *atque* et pluribus adverbiis ac praepositionibus nimis frequentibus locus proprius non datus est;

d) quoties fere unus idemque textus in Bibliis recurrit, semel positus est adiecta citatione ceterorum locorum, ubi idem textus invenitur.

5) Ea, quae claritatis causa addita sunt, *cursivis* typis sunt exscripta.

6) Loci biblici indicantur nomine libri biblici (typ. cursivis), numero capitis et numero versus (sine littera sectionem capitis significante). Quando contingit, eundem textum pluribus numeris

citari, confusio evitatur crucicula † interposita, e. c. Ezech. 4. 14. † 20. 49. i. e. Ez. cap. 4. vers. 14. et Ez. cap. 20. vers. 49.

Singulae huius operis paginae in tres columnas non lineis, sed spatio interposito separatas divisae sunt, quarum quaeque fere ubique tribus, nonnullae duabus aut quatuor litteris initial. vocum in ea allatarum inscriptae sunt. Voces titulorum instar alphabetico ordine in medio lineae propositae a verbis locorum biblicorum, quae iis subiuncta sunt, et maioribus typis et litteris versalibus distinguuntur.

Speciminis instar affero operis principium:

A.

A et O.

Apoc. 1. 8 ego sum *. † 21. 6.
† 22. 13.

A A A

Ier. 1. 6 et dixi: *, Dne Deus!
† 14. 13. *Ezech.* 4. 14. † 20. 49.
Ioël. 1. 15 * diei, quia prope est
dies Dni.

8. Concordantiae recensitae atque emendatae primum a Franc. Luca, denuo expurgatae ac locupletatae cura Huberti Phalesii. Viennae 1825. Fol. min.

Sacrorum | Bibliorum | Vulgatae Editionis | Concordantiae | Hugonis Cardinalis | Ordinis Praedicatorum; | ad recognitionem | jussu Sixti V. Pont. Max. | Bibliis adhibitam | recensitae, atque emendatae: | Primum a Francisco Luca Theologo, et Decano Audomaropolitano, nunc denuo variis locis | expurgatae, ac locupletatae cura et studio V. D. Huberti Phalesii, | Ordinis Sancti Benedicti. | *(Infra haec titulo interposita est tabula aeri incisa, Vetus et Novum Testamentum symbolis depingens.)* | Cum permissu Superiorum. | Viennae MDCCCXXV. | Typis Antonii Strauss.

Hoc opus, quod in Bibliotheca Academica Halensi servatur, continet 195 plagulas, quarum duae priores litteris *a*, *b*, ceterae nume-

ris 1—193 signatae sunt. Harum 193 plagularum paginae superioribus numeris 1—771 (praeter ultimam albam) instructae sunt.

In tribus foliis titulo proximis a 2a — b 2b exhibetur 1) Praefatio; 2) Francisci Lucae Brugensis, Ecclesiae Cathedralis Audomaropolitanae Theologi et Decani epistola ad lectorem Concordantiarum editioni Plantinianae anni 1617. praefixa, de iis quae ipse in illa editione a. 1617. praestiterit; 3) Praeambula Huberti Phalesii, in quibus disserit a) de hac Concordantiarum editione, b) de conatu suo circa hanc editionem, c) de verbis sententiisque, quae in Concordantiarum libro frustra quaerantur, d) de auctore Concordantiarum, e) de utilitate Concordantiarum usuque ex Sixto Senensi lib. 3. Biblioth. sanctae: De syllabica exponendi ratione, methodo tertia [quae in Editione supra p. XIV. memorata p. 185—188. leguntur].

In illa epistola Lucas de sua Concordantiarum recensione refert, se eas ad libellum Correctorium Ecclesiae suae correxisse; multa praecidisse vocabula, ea videlicet quae plus oneris quam utilitatis Concordantiis afferre viderentur, inprimis Pronomina pleraque, Coniunctiones, et Praepositiones, denique Nomina quaedam ut *Dominus, Deus,* ad haec etiam Verba quaedam, ut *sum, dico*; postremo se collocasse quasdam voces commodiori, adeoque magis proprio loco, mutata plerumque orthographia in melius.

In praeambulo secundo Phalesius breviter exponit, quid ipse in hac editione ex illa Plantiniana anni 1617. iterata praestiterit: 1) illam editionem Plantinianam diligenter esse recensitam, et plures, quae desiderabantur, sententias esse suis titulis insertas, capitum vel versuum numeros saepe correctos; 2) ne quis iure queri possit quidpiam quod ad rem faciat praetermissum, restitutas esse in hac editione non tantum dictiones *Deus, Dominus,* sed et alias fere omnes consulto pridem omissas, non quidem integre, et paene infinita earum farragine coacervata, sed iis duntaxat descriptis sententiis, quae in textu primo occurrebant, additis deinde quibusdam selectioribus, quae Sacrarum Literarum studiosis possent deservire; 3) quasdam quoque voces ante habitas quasi

nullius essent momenti, ex integro repositas esse, quales sint *sicut* et *quasi;* 4) aliqua etiam sub uno titulo male coniuncta esse separata, ut *Tibiam* partem corporis, a *Tibia* fistula, *Palmam* manum a *Palma* arbore, *Plagam* partem mundi, a *Plaga* vulnere, afflictione, etc. 5) denique in titulis hoc generaliter servatum esse (quod prius in aliquibus tantum fiebat), ut nimirum in eo ponerentur genere, numero, casu et modo, quo in ipsa Scriptura unumquodque nomen invenitur expressum, e. c. cum textus semel tantum habebat *Purpuraria,* titulus olim praeferebat *Purpurarius,* pro *Desponsata* similiter, quod semel tantum tribuitur Virgini Matri, titulus habebat *Desponsatus,* etc.

Huius operis singulae paginae divisae sunt in quatuor columnas lineis separatas, quarum quaeque (praeter tres primas columnas folii 1[a], quae una vel duabus litteris inscriptae sunt) tribus initialibus vocum in ea allatarum inscripta est. Voces, quae titulorum instar alphabetico ordine proponuntur, litteris versalibus a verbis locorum biblicorum subiunctis distinctae sunt. Loci biblici a sinistra nomine libri biblici (typis cursivis exscripti) et numeris capitis versusque indicantur.

Tanquam specimen huius operis affero eius initium:

A

A *Praepositio.*

Genes. 1. 4 divisit lucem a tenebris
deinceps consulto omittitur.

A et *Ω*

Apoc. 1. 8 sum *α* et *ω*, princip. et fin.
21. 6 *α* et *ω*, initium, et finis
22. 13 *α* et *ω*, primus, et noviss.

AAA

Ierem. 1. 6 — 14. 13 A, a, a, Domine Deus
Ezech. 4. 14 — 20. 49 A, a, a, Domine Deus
Ioel. 1. 15 clamate ad Dominu. A, a, a, dici

9. Aliae Editiones[1] et eiusmodi Opera.

In praecedentibus eas Concordantias latinas recensui, quas ipse in manibus habeo; nunc addo eas, quae a Le Long l. l. p. 457 sq., Lipenio in Bibliotheca reali theologica Tom. I. p. 384 sq. et Panzero in Annalibus typographicis Vol. VI. VII. IX. XI. breviter titulis suis recensentur, mihi autem nondum venerunt in conspectum. Affero eas partim secundum *annorum* seriem partim secundum *urbes*, in quibus prodierunt, partim secundum earum *editores* vel *auctores*.

Concordantiae Bibliorum et Canonum. Bononiae, Hugonis de Colonia. 1479. 1486. Fol.

Concordantiae Magnae. Norimbergae, Antonii Coburger. 1485. 1487. Fol.

Concordantiae Bibliorum, studio Joan. Nivicellensis. Basileae 1489. Fol.

Concordantiae maiores cum declinabilium tum indeclinabilium utriusque Testamenti dictionum praemissa praefatione Jo. Frobenii editoris, pars secunda quae dictionum indeclinabilium Concordantias continet, a Joanne de Secubia. Basileae, Frobenii 1496. Fol.

Concordantiae Maiores Biblicae, tam dictionum declinabilium quam indeclinabilium. Basileae, per Joannem Amorbachium, Joannem Petri et Joannem Frobenium 1506.

---

[1] Quantus sit numerus et Codicum MSS. et Editionum Concordantiarum, elucet ex his Quetifii verbis l. l. I. p. 209: „Concordantiarum codices MS. praeter laudatos hi sunt Parisiis omnes editionis tertiae nempe praefixa praefatiuncula *Cuilibet volenti*, in Navarr. tres fol. mag. memb. In Sorbon. quinque minimum aut sex: Augustin. ad pontem novum unus. Regia tres 3615. 3707 et 3708. Colbert. duo 295 et 393. Victor. n. 394: universim nulla fere est antiqua bibliotheca, in qua non sit aliquod huius rationis exemplum: editiones vero a nata typographia tot sunt, ut vix numerari possint. Hae sunt praeter citatas praecipuae. Lugduni, Gryphii 1540, 4. Basileae. 1543 fol. Tum ex recognitione Francisci Arola Lugduni, Gryphii 1551. 4. et recensente Ioanne Gastio Basileae 1551 fol."

2 Voll. 4° (Panzer l. l. VI. p. 181 nr. 48.); item 1516 et 1521. (vide supra p. LXXXVII sqq. IV, 1. 2.).

Concordantiae maiores cum declinabilium utriusque testamenti tum indeclinabilium dictionum. Apud inclytam Basileam. Anno. M. D. XXIII. *In fine:* Basileae in aedibus Joannis Frob. Mense Augusto Ann. M. D. XXIII. Fol. (Panzer l. l. VI. p. 237. nr. 471.).

Concordantiae maiores Sacr. Bibl. Basileae apud Frobenium 1525. Fol. (Panzer l. l. IX. p. 401. nr. 587. b.) item 1526. Fol. (teste Le Long l. l.).

Magnae Concordantiae S. Scripturae. Lugduni, Mareschal. 1526. 1528. Fol.

Concordantiae maiores S. Scripturae, studio Jo. Schotti. Argentorati 1526. Fol.

Concordantiae maiores sacrae scripturae, omnibus retroactis aeditionibus et emendatiores et locupletiores recens summa cura et industria excusae. Ex libera Argentina per Georgium Vlricherum Anno MDXXIX. Mense Februario. Fol. (Panzer l. l. VI. p. 116. nr. 795.).

Concordantiae Biblicae Maiores. Lugduni per Sebastianum Gryphium. 1529. 4° (Panzer l. l. VI. p. 347. nr. 605.).

Concordantiae Maiores Bibliae, recens, summo studio, ab innumeris erroribus uindicatae, emaculatae et auctae. Ingenio, arte et opera Joannis Schotti. Argentorati M. D. XXX. Fol. (Panzer l. l. VI. p. 118. nr. 807.).

Concordantiae Maiores Sacrae Paginae, quam Bibliam vocant, omnium novissimae, iam recens ab—erroribus ac mendis, cura summa ac vigilantia singulari restitutae. Adiecto insignium factorum eiusdem Catalogo in prioribus nusquam viso. M. D. XXX. *In fine:* Argentorati apud Paulum Gotzium. Anno Domini M. D. XXX. Mense Novembri. Fol. (Panzer l. l. XI. p. 366. nr. 819.).

Index utriusque Testamenti. Antuerpiae, Joan. Steelsii. 1534. 8°.

Biblia Alphabetica seu Concordantiae Bibliorum ita digestae, ut, sub qualibet Alphabetici ordinis litera, utriusque Testamenti authoritates a monosyllabis incipientes reperiantur. Opus maioribus, ut vocant, Concordantiis longe tum locupletius, tum perfectius, auctore Henrico Regio. Coloniae 1535. 4°

Concordantiae Maiores sacrae Bibliae, summis vigiliis iam recens castigatae et locupletatae. Lugduni apud Seb. Gryphium Anno MDXXXV. 4° (Panzer l. l. IX. p. 527. nr. 775. b.). Ibid. apud eundem 1540. 4° (teste Le Long l. l.), item 1545. 4° (vide supra p. XCI sq. IV, 3.).

Index copiosissimus Veteris et Novi Testamenti, studio Roberti Stephani. Parisiis eiusdem typis 1840. 8°.

Concordantiae maiores. Basileae 1543. Fol.

Concordantiae breviores. Parisiis 1544. 8°.

Index Veteris et Novi Testamenti. Venetiis, ad insigne Spei 1544. 8°.

Magnae Concordantiae a Francisco Arola recognitae. Lugduni, Gryphii 1551. 4°.

Concordantiae Bibliorum innumeris locis recognitae a Joan. Gastio. Basileae 1551. Fol.

Inventarium in Novum Testamentum, vulgo Concordantias vocant, auctore Tacito Nic. Zegero. Antuerpiae 1558. 1566. 1607. 8°.

Concordantiae utriusque Testamenti, per Joan. Benedictum. Parisiis 1562. Fol.

Concordantiae Bibliorum novae, integrae. Antuerpiae, Arnoldi Birckmanni. 1567. 4°.

Sacrorum Bibliorum absolutissimus Index quem Concordantias maiores vocant. Basileae, Hervagii 1568. Fol. (conf. supra p. XCVI sqq. IV, 5.).

Concordantiarum S. Scripturae oeconomia methodica, a Georgio Bulloco. Antuerpiae, Plantini 1572. Fol.

Concordantiae Bibliorum. Antuerpiae, Plantini 1581. 8°. Ibid. iisdem typis 1585. 4°.

Concordantiae Bibliorum repurgatae et locupletatae. Lugduni apud Juntas 1586. 4°.

Concordantiae Bibliorum iuxta recognitionem Clementinam. Antuerpiae 1599. 4°.

Concordantiae Bibliorum maximae, studio Claudii Mannii. Francofurti, apud Wechelios 1600. Fol.

Concordantiae Bibliorum. Lugduni 1603. 4°.

Concordantiae Bibliorum una cum annotationibus Francisci Lucae Brugensis. Antuerpiae 1606. 4°. Ibid. 1612. 4°, (sic Le Long; Lipenius indicat: Fol.). Venetiis 1612. 4° (sic Le Long; Lipen.: Fol.), Aureliae Allobr. 1612. Fol. (hanc Ed. solus Lipenius annotavit), Lugduni 1612 et 1615. 4°.

Inventarium in Testamentum Novum, vulgo Concordantia vocant, operâ Nicolai Zegeri. Antuerpiae 1607. 8°.

Concordantiae utriusque Testamenti generales, a Petro de Besse emendatae. Parisiis 1611. Fol.

Concordantiae Bibliorum perfectae. Coloniae 1611. Fol. Ibid. 1634. Fol. (teste Lipenio).

Concordantiae Bibliorum utriusque Testamenti Veteris et Novi quas merito maximas et absolutissimas appellare liceret. Genevae 1611. 4° (teste Lipenio).

Eaedem repurgatae et locupletatae. Genevae 1612. 4°.

Doctrinale Bibliorum Harmonicum, sive index ad instar Concordantiarum, auctore Georgio Vito. Lavingae 1613. Fol. Wittebergae 1614. Fol.

Concordantiae sacrorum Bibliorum Vulgatae editionis, Hugone Cardinali authore, ad recognitionem iussu Sixti V. Pont. Max. Bibliis adhibitam recensitae et emendatae, operâ et studio Francisci Lucae Brugensis. Antuerpiae, Moreti 1617. Fol., Antuerp. et Venetiis 1618. Fol., Genevae 1620. 4° (has 2 Editt. Lipenius memorat), Gene-

vae et Francofurti 1625. 4°, Parisiis, Dion. de la Noüe 1635. 4° (sic Le Long; Lipen.: Fol.) et 1638. 4°, Ibid. Seb. Cramoisy 1646. 4°.

Concordantiae Bibliorum maximae. Francofurti et Hanoviae 1618. Fol.

Index Biblicus, studio Joan. Piscatoris. Herbornae 1622. 8°.

Index Bibliorum quadruplex generalis. Lugduni Batav. 1623. 8°.

Index in sacra Biblia locupletissimus ex Latina versione Tremellii quoad Vetus, et Bezae quoad Novum Testamentum per Paulum Tossanum. Francofurti 1624. Fol.

Bibliorum Concordantiae. Antuerpiae 1625. 4°. Hanoviae 1638. Fol. (utramque Ed. Lipenius affert.).

Concordantiae sacrorum Bibliorum maiores duobus alphabetis, altero dictionum variabilium, invariabilium altero absolutissimae cum narratione de iisdem Concordantiis per Gasparem de Zamora Hispalensem S. I. Romae, Zanetti 1627. Fol.[1] et 1647. Fol. (hanc Ed. solus Lipenius memorat.).

Concordantiae Bibliorum ad antiquos et novos Codices diligenter collectae et auctae, operâ Theologorum Coloniensium. Coloniae 1628. 4°.

Concordantiae Bibliorum ad antiquos et novos codices collatae, operâ Theologorum Lovaniensium (sic Le Long, pro Coloniensium?) Coloniae 1629. 4°, Ibid. 1661. Fol. Ibid. 1663. 4°.

---

[1] De hoc opere disserit Quetif l. l. I. p. 208., aitque, Zamoram suscepisse Concordantiarum sacrae bibliothecae numeris omnibus absolutam editionem, id est in qua nullum ne minimum quidem, qualia sunt particulae ab, de, ex, in, nisi, non, per, ut et similes infinities repetitae, vocabulum Bibliorum omissum; at sententias, quas ille in huius immensi operis praefatione de auctoribus primis Concordantiarum proposuit, refutat. — Le Long huic operi annotavit: „editio copiosissima, at nimium in varia divisa membra."

Concordantiae sacrorum Bibliorum ab Huberto Phalesio recognitae. Antuerpiae, Moreti 1642. Fol., Lugduni, Juilleron 1649 et 1652. 4°, Parisiis, apud Societatem 1656. 4°, Lugduni 1665. 4° (sic Lipen.) 1667. 4°, Coloniae Agrippinae, Balthasaris ab Egmond 1684. 8° maiori, Moguntiae 1685. 8° mai., Lugduni 1687 et 1700. 4°.

Concordantiae Bibliorum iuxta Exemplar Vulgatae Editionis studio et industria Theologorum Coloniensium revisae,emendatae et auctae. Coloniae 1661. Fol. Ibid. 1663. Fol. (vide supra p. XCVIII sq. IV, 6.). Ibid. 1665. Fol.

Ioh. Iac. Comitis in Koenigsgraitz Promptuarium sacrum Bibl. via Concordantiali Orbi propositum. Salisburgi 1672. Fol.

Lexicon Concordantiale Bibliorum, auctore Paulo Tossano, auctum cura Jani Fabricii Clozii. Francof. 1681. Fol.

Concordantiae sacrorum Bibliorum nunc denuo cura et studio Io. Georgii Siberbaur recognitae. Viennae Austriae, Mart. Endteri 1700. 4°.

Concordantiae Bibliorum sacr. Vulgatae edit., ad recognit. jussu Sixti V. P. M. Bibliis adhibitam recensitae atque emend. etc. Curâ F. P. Dutripon. Paris. 1838. 4° max.

V. Concordantiae Bibliorum germanicorum.

Cum magnus Concordantiarum Biblicarum fructus satis cognitus esset, ne miremur, quod paulo postquam Lutherus suam Novi Testamenti translationem germanicam a. 1522. ediderat, multi optabant, ut idem fructus, quem latinis Bibliis utentes iam inde a seculo XIII. ex eiusmodi libris hauserant, iis quoque afferretur, qui hoc Novo Testamento vernaculo utebantur. Huic optato a. 1524 satisfecit Iohannes Schroeter, typographus Argentoratensis. Hunc secutus est Leonardus Brunner, parochus ecclesiae Wormatiensis, qui a. 1546.[1] Argentorati Concordantias in

[1] Sic enim Le Long l. l. p. 459. Brunneri opus memorat: „Concordantiae Bibliorum Germanicorum a Leonardo Brunnero confectae. Argentorati 1546. Fol.“ — Falso refert Agricola in praefatione operis

tota Biblia germanica Vet. et Novi Test. edidit, in quibus autem minime omnes voces attulit et vocibus allatis non omnes locos biblicos adscripsit.[1] Deinde a. 1571. Petrus Patiens Theol. Dr. parochus Landaviae ad Rhenum, postea Superintendens Heidelbergae, Concordantias germanicas in quinque partes distributas Francofurti formâ maximâ edidit,[2] quae vero non inter Concordantias verbales, de quibus solis h. l. agitur, sed inter reales (de quibus infra breviter dicam) referendae sunt.[3] Cuius generis fuerint Concordantiae, quas Michael Mulingius Lipsiae 1602. 8° et Lucas Stoeckelius Herbornae 1606. 4° evulgarunt,[4] nescio. Horum

---

illico recensendi, Brunneri Concordantias in tota Biblia germanica iam anno 1530 editas esse. Illo enim anno Lutheri versio Pentateuchi quidem (inde ab a. 1523), librorum historicorum V. T. (inde ab initio a. 1524), librorum poeticorum (inde ab a. 1524), proph. Iesaiae (a. 1528), [proph. Danielis demum a. 1530], commentarii germanici in prophetas Ionam et Habacuc (utrique a. 1526) et in proph. Zachariam (a. 1528), atque versio Libri Sapientiae (a. 1529) prodierant, sed nondum versio omnium prophetarum (quae primum a. 1532. evulgata est) et ceterorum librorum apocryphorum; prima enim editio versionis germanicae totorum Bibliorum a Luthero factae prodiit a. 1534., vide librum meum: Verzeichniß der Original-Ausgaben der Lutherischen Uebersetzung sowohl der ganzen Bibel, als auch größerer u. kleinerer Theile u. einzelner Stellen derselben. Halle 1841. 4° mai. p. 1 sqq.

[1] Teste Agricola, qui l. l. hunc librum sic recensuit: „— — eine Concordantz vber die gantze Bibel Altes vnd Newes Testaments drucken lassen, aber doch auffs allerkürtzest zusammen gezogen, also daß offt vnter manchem Titel nicht der dritttheil der biblischen Wörter zu finden waren, auch viel Wörter gar vbergangen."

[2] Lipenius l. l. I. p. 385. huius operis titulum sic affert: Petri Patientis Concordantz über die gantze Bibel, auff die Dolmetschung *Lutheri* gerichtet. Franckfurt 1571. Fol. Le Long l. l. hunc titulum latine vertit.

[3] Agricola enim l. l. de iis haec refert: „— — in welchem Werck Ehrngedachter D. Patiens mehr auff die Res, Historien vnd Hauptpuncten gesehen, dann auff die Verba oder Wort, dann darinnen auch viel vbergangen vnd ausgelassen worden ist, so ist auch solche Concordantz nicht auff die Versiculos, sondern auf die Paragraphos der Capitel allein gerichtet, welche in den Bibeln nicht allerdings vbereinstimmen."

[4] Lipenius l. l. I. p. 385 horum librorum titulos sic affert: *Mich. Mu-*

quinque operum hucusque nullum ipse vidi; quapropter *primo* loco recenseo sequens

1. Conradi Agricolae.

Conradus Agricola, proprie Baur, civis et typographus Norimbergensis (postea Altdorpii, ubi a. 1617 mortuus est) suscepit quorundam virorum doctorum auxilio Concordantias in totam Sacrae Scripturae translationem germanicam Lutheri concinnare, in quibus plurimae voces praesertim Nomina et Verba cum suis locis biblicis afferrentur et hi loci biblici secundum capita et *versiculos* librorum biblicorum indicarentur. Hoc opus Francofurti ad M. 1610. Fol. exiit sub hoc titulo:

Concordantiae | Bibliorvm, | Das ist | Biblische Con= | cordantz vnd Verzeichnuß | der Fürnembsten Wörter, auch aller Namen, | Sprüch, vnnd Geschicht, so offt derselben in gantzer Heiliger Göttlicher | Schrifft, deß Alten vnd Newen Testaments gedacht wirdt, mit sonderm Fleiß, dem | Alphabeth nach, ordentlich zusammen getragen, vnd auff D. Martin | Luthers, Anno 1545. am letzten revidirte | Bibel, gerichtet. | In welcher ein jeder Christ, in der eyl, alle Sprüchlein, oder was jhm sonst auß | der Gedächtnuß entfallen, nach wunsch, vnd begern, in welchem Capitel vnd | Verß, ein jedes begriffen, richtig finden kan. | Gestellt vnd zusammen getragen durch | Conradum Agricolam, Typographum zu Nörmberg, mit Hülff vnd Beystand fürnemer | Gelehrter, vnd in heiliger Schrifft erfahrner Männer. | Sampt beygedruckten etlicher fürnemen Vniversiteten vnd Theologen Censuren vnd Bedencken vber diß Werck. | *(Infra haec titulo interposita est tabula ligno incisa, cincta hisce verbis:* Spes. alit. agricolas: qvoniam. qvi. arat. debet.

lingii Kleine Concordantz-Bibel. Leipzig 1602. 8° — *Lucae Stoeckelii* Schatz-Kammer der H. Schrift, das ist, Teutsche Biblische Concordantzen. Herborn 1606. 4°. Le Long l. l. priorem omnino praetermisit, alterum latine vertit et abbreviavit. Agricola l. l. utriusque libri nullam fecit mentionem.

in . spe . arare: et . qvi . seminat . in . benedictionibvs: de . benedictionibvs . et . metet: 1619. *In sinistra huius tabulae parte conspicitur auctoris imago.)* | Gedruckt zu Franckfurt am Mayn, bey Wolffgang Richtern, | Sumptibus Rvlandiorvm. | Im Jahr M. DC. X.

Hoc opus, quod ex Bibliotheca Orphanotrophei Halensis in manibus habeo, continet 257 plagulas, quarum tres priores nota)(, ceterae litteris A—Z, Aa — Rr, AA—ZZ, AAA—YYY, signatae sunt, quarum ultima duas plagulas (4 folia, quorum quartum album est, opus enim finitur YYY 3^b medio), reliquae omnes ternas plagg. (6 folia) complectuntur. Paginae foliorum A 1^a — Rr 6^b habent numeros superiores 1—480, sequentes pagg. eiusmodi numeris carent. — Fol.)(2^a — 3^a exhibent auctoris dedicationem ad Christianum alterum, Electorem Saxoniae, ceterosque Saxoniae Duces, subscripto nomine: Conradus Agricola oder Bawr, Bürger vnd Typographus zu Nörnberg.; fol.)(3^b – 4^b auctoris praefationem An den Christlichen Leser, in qua disserit, paucis praemissis, de origine Concordantiarum dictionum indeclinabilium, quas Iohannes de Secubia cum prologo edidit, deinde affert quaedam ex Roberti Stephani praefatione Concordantiarum lat. (quam supra p. XCIII sqq. IV, 4. integram adscripsi), tum Concordantias germanicas priores Schroeteri, Brunneri et Patientis memorat, denique sui operis rationem explicat; fol.)(5^a — 6^a continent de hoc opere censuras theologicae Facultatis quatuor Academiarum Tubingensis, Heidelbergensis, Marpurgensis et Altorfinae, atque Theologorum Norimbergensium, Spirensium et Stuttgardiensium; in fol.)(6^b proponitur Index librorum biblicorum additis numeris capitum et versuum uniuscuiusque. Prima operis ipsius pagina, fol. A 1^a inscripta est: Concordantz Oder Zeiger, aller fürnembsten Wörter, der gantzen heyligen Schrifft, deß Alten vnd Neuwen Testaments. Singulae paginae huius operis divisae sunt in tres columnas aequales lineis separatas, quarum quaeque subdivisa est in duas: unam a sinistra angustam, in qua nomina librorum biblicorum et numeri capitum indicantur; alteram a dextra multo latiorem, in qua voces, quae titulorum in-

star in medio lineae alphabetico ordine proponuntur, subiunctis verbis locorum biblicorum, in quibus reperiuntur, quibus ubique numerus versiculi a sinistra praefixus est. Tituli illi a verbis locorum biblicorum subiunctis eo tantum distinguuntur, quod in lineae medio positae sunt.

In praefatione auctor de ratione sui operis haec refert:

1) Recepit inprimis Nomina et Verba, ex parte tantum Pronomina quoque, Adverbia, Coniunctiones, Praepositiones, Interiectiones.[1]

2) Ne volumen nimis augeatur, dictiones eodem modo repetitae in hoc opere semel ipsis verbis afferuntur, a) si in eodem versu repetitae sunt, signum (*) additur; b) si in duobus vel pluribus versibus eiusdem capitis, hi versus in fine adscripti sunt; c) si in aliis capitibus eiusdem libri vel in aliis libris biblicis, hi loci item in fine verborum allatorum indicantur.

3) In iis vocibus, quae varias habent significationes, loci biblici interdum secundum has significationes disiuncti sunt, plerumque autem uno ordine afferuntur, illius diversitatis nulla ratione habita.

4) Ut verba loci biblici allata clariora reddantur, saepe loco Pronominis, quod in eo legitur, Nomen positum est.

5) Nomina propria, quae varie scribuntur, e. c. Abram et Abraham, Bersaba, Berseba, Beerseba, sub uno titulo afferuntur.

6) Duo libri Samuelis et duo libri Regum sic secundum Lutheri Biblia germanica distinguuntur, dum in graeca versione LXX Interpretum et Bibliis lat. Vulgatae editionis utrique nomine 1—4. librorum Regum significantur.

7) In libris Regum et Paralipomenon s. Chronicorum capita versusque non in omnibus Bibliorum editionibus uno modo dividun-

[1] Dicit enim: Zum dritten, weil in der H. Schrifft vnzehlich viel kleine Wörtlein gefunden, die doch in sich keine sondere Bedeutung haben, hab ich allein die fürnembsten auffgezeichnet, die andern aber fahren lassen, vnd fürnemlich auff die Nomina, vnd Verba, als auff den Hauptkern eines Sententz, vnd Sprüchleins gesehen, aber doch gleichwol die fürnembsten Pronomina, Aduerbia, Coniunctiones, Praepositiones vnd Interiectiones zum theil nicht vergessen.

tur, quam ob rem lector monetur, ut verba alicuius loci horum librorum allata, si ea loco indicato non invenit, in antecedente aut sequente capite quaerat.

8) Additamenta ad librum Estherae, quae inter Apocrypha leguntur, secundum Biblia Norimbergensia e Wittenbergensi editione anni 1545 [potius 1546] recusa non tanquam capita peculiaria signata sunt, sed tanquam versus quibusdam libri canonici capitibus adnumerandi.

9) Asariae precatio et trium virorum carmen in fornaci ignea cantum tertio Danielis capiti adnumerata sunt.

10) Etiam vocabula librorum III. et IV. Esrae atque libri tertii Maccabaeorum, quamquam non in omnibus, sed in quibusdam tantum Bibliorum editionibus inveniuntur, huic operi adiecta sunt; ergo auctor fere idem fecit, ac Gasp. Zamora in Concordantiis suis latinis supra p. CIX. memoratis, quapropter ille a Phalesio in praeambulo secundo (vide supra p. CIII) vituperatur.

Ob ea, quae primo loco dicta sunt, auctor duobus post annis edidit Appendicem eâdem formâ maximâ sic inscriptam:

> Appendix Concordant. | Bibliorvm, | Das iſt | Bibliſche Con= | cordantz vnd Verzeichnuß | deren Wörter, Namen vnd Sprüch heiliger | Göttlicher Schrifft, Alten vnd Neuwen Teſtaments, dem Alphabet nach | nacheinander geſetzt, welche in der erſt= außgangener Concordantz | waren außgelaſſen. | Geſtellt vnd zuſammen getragen durch | Conradum Agricolam, Typographum zu Nörmberg, mit Hülff vnd Beyſtand | fürnemer gelehrter, vnd in heiliger Schrifft, | erfahrner Männer, | Vnd auff Anhalten vnd Begeren vieler Gottſeliger Chriſten in Druck | verfertiget. | (Infra haec titulo eadem tabula interposita est ac in priori titulo.) | Gedruckt zu Franck= furt am Mayn, bey Wolffgang Richtern, | Sumptibus Rvlandiorvm. | Im Jahr M. DC. XII.

Haec Appendix, quae certe in eo exemplo, quo ipse utor, cum priori opere uno volumine comprehenditur, continet 61 plagulas litteris A—V signatas, quarum V 4 plagulas (8 folia), ceterae ter-

nas (6 folia) complectuntur. Fol. A 2ª — V 7ª habent numeros superiores 3—241, fol. V 7ᵇ — 8ᵇ vacant. In pagina tituli aversa legitur praefatiuncula. Ratio huius Appendicis eadem est ac prioris operis, cuius initium speciminis instar h l. affero:

AAR

A.

Apocal. 1 | 8 Ich bin das A vnd das O. 11. 21, 6. 22, 13.

Aaron .

Exod. 4 | 14 Aaron Mosi Bruder ist beredt
27 Der HERR sprach zu Aaron. 7, 8. 9, 8. 12, 1. 43.

etc.

Alia huius operis editio, testibus Le Long et Lipenio, prodiit ibidem 1621. Fol. Zeisius in praefatione operis illico recensendi praeter editionem anni 1620. [1621.] aliam anni 1632. memorat, atque sequentem.

Nova editio, quam ex Bibliotheca Orphanotrophei Halensis in manibus habeo, publici iuris facta est a. 1640. Fol., cuius titulus ab illa prima tantum differt hisce: 1) ea, quae illic in lin. 9—11. leguntur (Alphabeth nach — — gerichtet.) hic titulus exhibet in lin. 9. 10. sic: Alphabeth nach ordentlich zusammen getragen, vnd auff D. Martin Luthers, Anno 1545. am | letzten revidirte Bibel gerichtet. Quam ob causam ea, quae illic in lin. 12—17. leguntur, hic titulus in lin. 11—16. exhibet. 2) post lin. 16. addita sunt in lin. 17. 18.: Jetzo auffs new revidirt, vnd mit Zusetzung vieler in erster edition theils außgelassener, theils im Appendice ge- | setzter Wörter, vermehret. Sequens lin. 19. congruit cum lin. 18. prioris tituli, sub qua in utraque editione interposita est tabula ligno incisa, supra descripta. 3) sub hac tabula hic titulus in lin. 20—22. exhibet haecce: Gedruckt zu Franckfurt am Mayn, in Wolffgang Hoffmanns Buchdruckerey, | Sumptibus Rvlandiorvm. | Im Jahr M. DC. XXXX.

Haec editio, in qua ea, quae illic in appendice legebantur, operi inserta sunt (id quod, teste Zeisio, iam in editione anni 1620 [1621.] factum est), continet 317 plagulas, quarum tres priores nota)(, ceterae litteris A—Z, Aa—Zz, Aaa—Zzz, Aaaa—Zzzz, Aaaaa—Nnnnn signatae sunt, quarum ultima duas plagulas (4 folia),

ceterae ternas (6 folia) complectuntur. Fol.)(2ᵃ — 6ᵇ exhibent dedicationem, praefationem, et censuras supra indicatas, atque indicem librorum biblicorum adscriptis numeris capitum versuumque cuiusque libri. A 1ᵃ — Nnnnn 4ᵇ, quarum paginae numeros superiores 1—2256 habent, continent Concordantias ipsas eadem ratione ac in prima editione institutas.

2. Christiani Zeisii.

Christianus Zeisius, parochus ecclesiae Oelzschavianae prope Lipsiam, postquam omnia illarum editionum exempla erant distracta, suscepit novam editionem parare, et sex annis in hoc labore consumtis eam a. 1658 formâ maximâ evulgavit sic inscriptam:

Concordantiae | Bibliorum | emendatae, completae | ac fere novae. | Das ist | Biblische Con= | cordantz vnd Verzeichnuß | der fürnembsten Wörter, auch aller Namen, | Sprüche vnd Geschichte, so offt derselben in H. Göttlicher Schrifft Altes vnd Newes | Testaments gedacht wird, dem Alphabet nach zusammen getragen, | vorhin gestellet durch | Conradvm Agricolam Typographum zu Nürnberg, mit Hülffe vnd Beystand, | fürnehmer gelehrter vnd in H. Schrifft erfahrner Männer. | Nunmehr aber | Auff Rath vnd Gutachten fürnehmer Evangelischer Lutherischer Theologen, mit höchstem Fleisse | allenthalben durchsehen, wo etwas vnrecht allegiret gewesen corrigiret, die Wörter in bessere Ordnung gesetzet, auch | noch über das mit Hinzusetzung vnzehlich vieler in vorigen Editionibus vnd Appendice so wol außgelassenen Sprüchen, als gantz newen | Wörter vermehret. Vnd dabey alles nach der Deutschen vnd Hebraeischen Bibel zugleich eingerichtet, sie beyde | neben einander zugebrauchen; Also daß es nunmehr nicht allein weit vollkommener, sondern | auch fast zu einem gantz newen Werck worden ist. | Herfür gegeben durch | Christianum Zeisium Pfarrern, | bey der Kirchen GOttes zu Oelzschau in der | Inspection Leipzig. | Was in diesem Wercke allenthalben ge=

than, vnd was die bey diesen Concordanzien befindliche Signa bedeuten, wird dem | Christlichen Leser in der newen Praefation vmbständiglich vnd weitläufftig vermeldet, welche er vor allen | Dingen durchlesen, das Werck gebrauchen, vnd so dann darvon vrtheilen wolle. | *(Ornamentum typographicum)* | Gedruckt zu Franckfurt am Mayn, in Antonii Hummens Buchdruckerey, | Sumptibus Rulandiorum. | Im Jahr M. DC. LVIII.

Folio hunc pleniorem titulum in antica parte continenti antecedit aliud, in cuius priori pagina exhibetur hic brevior:

Conradi Agricolae | Teuthsche Biblische | Concordantzen | Corrigiret Vermehret | unt *(sic)* gebessert | durch | Christianum Zeissium | Pfarrern Zu Oeltzschaw | Franckfurt am Mayn | Sumptibus Rulandiorum | Anno 1657.

qui non typis exscriptus, sed cum 11 imaginibus eum cingentibus ab artifice A. Aubry aeri incisus est.

Hoc opus, quod ex Bibliotheca Orphanotrophei Halensis in manibus habeo, continet 400 plagulas, quarum primae tres nota)(, quatuor seqq.)( )(, una subsequens)( )( )(, seqq. 388 litteris A—Z, Aa - Zz, Aaa—Xxx, a—z, aa—zz, aaa—xxx (quarum Xxx, xxx binas, ceterae ternas plagulas complectuntur), ultimae quatuor notis)o(,)o( )o(signatae sunt. Paginae omnes numeris superioribus carent. — Tria folia utrumque titulum proxime sequentia exhibent Agricolae dedicationem ac praefationem ex eius prima editione recusam; subsequentia 9 folia continent 1) Zeisii praefationem, in qua rationem operis sui et quod in eo praestiterit, accuratius exponit. Agricola affirmaverat, se editione Norimbergensi ex editione Wittenbergensi anni 1545. recusa usum esse; at eius opere accuratius examinato Zeisius intellexit, ab illo non textum editionis anni 1545., sed potius textum editionis anni 1546. multis locis mutatum in Concordantias suas esse receptum; quam ob causam h. l. enumerat locos mutatos et utriusque editionis lectionem alteram iuxta alteram proponit. Praeterea nonnullas alias seriores

editiones contulit earumque varietatem annotavit. Ut in opere ipso eiusmodi varietates aliaque brevissime indicaret, signis quibusdam h. l. explicatis usus est. — In libris apocryphis Agricolae rationem supra memoratam retinuit. — Tres locos N. T., qui in german. Bibliis desunt, ex fontibus addidit: Marc. 11, 26. Luc. 17, 36. Iac. 4, 6. — Aliquot dicta et quaedam voces cum omnibus dictis ad illas pertinentibus ab Agricola falso disposita in meliorem ordinem redacta sunt. — Simplicia et Composita ab Agric. non disiuncta disiunguntur. — Voces ab eo omissae additae sunt cum suis dictis e. c. Aber; ad alias voces dicta quaedam omissa suppleta sunt, e. c. sub v. Sondern. — Nomina propria, ubi varia significant, e. c. Gihon, dicta secundum varias significationes distincta sunt. — Ubi in locis Paralipomenon numerus capitis Bibliorum german. ab hebr. textu differt, numerus huius textus additus est sic: (Hebr. c. . .) — Praeterea illa folia continent 2) easdem Theologorum censuras et 3) eundem Indicem librorum biblicorum cum numeris capitum ac versuum eorum, qui in Agricolae opere leguntur. — Plagula)( )( )(signata exhibet 11 epigrammata in Zeisium. — Paginae ipsius operis a fol. A 1ª incipientis eodem modo divisae et instructae, earumque columnae inscriptae sunt ac in Agricolae opere. — Voces, quae titulorum instar in medio lineae alphabetico ordine afferuntur, a locis biblicis subiunctis distinguuntur maioribus typis. — Opus ipsum finitur fol. xxx 4ᵇ. — Seqq. 5 folia continent Corrigenda; subseqq. 2 folia Addenda; ultimum folium exhibet supplementum ad praefationis indicem locorum, quibus Editt. 1545. et 1546. inter se dissentiunt.

Speciminis instar affero operis initium:

AAR

A

Apoc. 1 | 8 Ich bin das A vnd das O, 11. c. 21, 6. c. 22, 13.

Aaron.

Exod. 4 | 14 Aaron Mosi Bruder ist beredt
27 der Herr sprach zu Aaron. c. 7, 8, c. 9, 8, c. 12, 1, 43. Num. 18, 15, 20.

etc.

Teste Winero l. l. I. p. 175. Ch. Zeisius huius operis Supplementum a. 1664. 4° edidit.

Huius operis nova editio eiusdem formae maximae prodiit anno 1674. sic inscripta:

Concordantiae | Bibliorum | Emendatae ac ferė novae, | Das ist: | Biblische Concordantz, | Oder | Verzeichnus der fürnehmsten Wörter, wie auch aller | Nahmen, Sprüche und Geschichten, so offt derselben in Heil. Schrifft, Altes und Neues | Testaments, gedacht wird, dem Alphabet nach zusammen getragen; | Vorhin gestellet und verfasset | durch | Conradvm Agricolam, | Typographum zu Nürnberg, mit Hülffe und Beystand fürnehmer, gelehrter, | und in Heiliger Schrifft wol-erfahrner Männer: | Hernach aber | Auff Rath und Gutachten — — — zu einem gantz Neuen Wercke worden; (has 6 lineas vide in titulo praeced.) | Besonders, | da anjetzo darzu kommen | Ein kurtz-verfaßter Wegweiser, | Oder | Erklärung und Außlegung aller und jeglicher Wörter, was vor Bedeutungen | dieselben haben, da sattsame Nachricht gegeben wird, jeglichen Wortes Verstand zu finden, die darzu gehörigen loca | herauß zu suchen, auch so denn mit Exempeln zu bewähren, daher er fast nicht unbillich ein kleiner Commentarius | aller Biblischen Bücher seyn und heissen kan. | An den Tag gegeben | durch | Christianum Zeisium, | Weidâ-Variscum, Pfarrern bey der Kirchen Gottes zu Oeltzschaw, | in der Inspection Leipzig. | Was in diesem Wercke — — urtheilen wolle. (has 3 lineas vide in titulo praeced.) | (*Ornamentum typogr.*) | Franckfurt am Mayn, | In Verlegung Iohannis Friderici, | Gedruckt bey Johann Niclas Humm, und Johann Görlin, | Im Jahr Christi M D C LXXIV.

Huic titulo pleniori antecedit alter brevior, undecim imaginibus cinctus aeri incisus, qui ab illo breviori primae editionis tantum differt hisce 3 lineis extremis: Sumptibus | Iohannis Friderici. | Anno 1674.

Haec Editio, quae item in Bibliotheca Orphanotrophei Halensis invenitur, continet praeter duo folia utrumque titulum exhibentia 461 plagulas, quarum sex primae notis)o(,)o( )o(, ceterae litteris A—Z, Aa Zz, Aaa—Zzz, Aaaa—Hhhh, a—z, aa—zz, aaa—zzz, aaaa—eeee signatae sunt, quarum Hhhh, eeee quaternas (8 folia), reliquae ternas plagulas (6 folia) complectuntur. Paginae aeque ac in priori editione numeris superioribus carent. Ultima pagina vacat.

Primae sex plagulae fere eadem continent ac illae septem)(iij—)( )( )(prioris editionis. In fine praefationis mense Aprili a. 1674. scriptae (prior d. 11. Maii a. 1657. erat scripta) auctor breviter indicat, quid in hac nova editione praestiterit addito *viae duce.* Plurimis enim vocibus titulorum instar propositis, etiam Nominibus propriis proxime subiunxit interpretationem. Ceterum huius editionis ratio et paginarum divisio eadem est ac prioris.

Ex initio, quod tanquam specimen h. l. affero, lector intelliget, qualis sit interpretatio in hac editione addita.

A

Christus vocatur *A* et *Ω*, et sic innuitur, quod sit principium et finis, seu primus et novissimus.

Apoc. 1 | 8 Ich bin das A und das O, 11. c. 21, 6. c. 22.

Aaron (Bergmann) Nomen Viri.

1. Sacerdos ac Pontifex Iudaeorum primus, 2. Fuit Typus Christi, ratione Sacerdotii, 3. Exemplar Praelati Ecclesiastici, et quidem (1.) legitimâ vocatione. (2.) Speciali Electione. (3.) Sapienti populi gubernatione, (4.) singulari elocutione. (5.) fideli pro populo intercessione, (6.) populi benedictione, (7.) Vestium exornatione. 4. Speculum fragilitatis, et infirmitatis humanae.

Exod. 4 | 14 Aaron Mosis Bruder ist beredt
27 der Herr sprach zu Aaron. c. 7, 8. c. 9, 8. c. 12, 1, 43. Num. 18, 19, 20.

etc.

3. Friderici Lanckischii.

Fridericus Lanckisch, Magister et Bibliopola Lipsiensis (natus d. 12. Martii 1618. Lipsiae, mortuus 22. Oct. 1669.), suscepit novum eiusmodi opus elaborare, quod post auctoris mortem a. 1677. Lipsiae et Francofurti formâ maximâ prodiit, iterumque ibidem 1688. Has duas priores editiones nondum vidi, quapropter integrum operis titulum secundum tertiam editionem anni 1696., quam ipse possideo, h. l. affero. Haec, quae eandem habet maximam formam, sic inscripta est:

Concordantiae | Bibliorum | Germanico-Hebraico- | Graecae. | Deutsche, Hebräische und Griechische | Concordantz-Bibel, | Oder | Vollständige Anweisung | aller Wörter, welche in der gantzen H. Schrifft, | so wohl im Hebräischen des Alten, als Griechischen Haupt-Texte | des Neuen Testaments, ingleichen in der Griechischen derer so genandten | siebentzig Dolmetscher, und Deutschen Ubersetzung Herrn D. Martin Luthers | seel. gleich wie auch in dem Griechischen und Deutschen Texte der | Librorum Apocryphorum fürkommen, | Wo und wie offt dieselben gefunden, und auff unter- | schiedliche Art gebrauchet werden. | Auff gnädigste Verordnung und Beförderung, | Des Durchlauchtigsten Fürsten und Herrn, | HERRN | Ernsts, Hertzogen zu Sachsen, | Jülich, Cleve und Berg, etc. | In diese gantz neue und beqveme Form, mit vieler Mühe und grossem | Fleiß zusammen gebracht und abgefasset | von | M. Friederich Lanckischen. | Vormahls mit einer Vorrede deß Chur-Fürstl. Sächsischen Oberhoff-Predigers, | Beichtvaters und Kirchen-Raths | Herrn D. Martini Geieri, zu erst herausgegeben; | Nunmehro aber zum dritten mahl | mit grossem Fleiß an vielen tausend Orten vermehret und corrigiret. | Leipzig und Franckfurth, | In Verlegung derer Lanckischen Erben, | Gedruckt bey Johann Heinrich Richtern. 1696.

Huic pleniori titulo praecedit alter brevior:

Concordantiae | Bibliorum | Germanico- | Hebraico- | Graecae. | Auspiciis gloriosissimae memoriae | Principis ac Domini, | Dn: Ernesti, | Saxoniae Iuliae Cliviae et Montis | Ducis, | etc: etc: | novâ et compendiariâ methodo | conscriptae | à | M. Friderico | Lanckisch | Lipsiensi. | MDCXCVI. | (*Infimo loco:*) Prostant Lipsiae et Francofurti in Bibliopolio Lanckischiano.

Hic alter titulus non typis exscriptus, sed cum figuris eum cingentibus ab E. Nunzer delineatus et aeri incisus est.

Praeter duos titulos modo descriptos haec editio continet 453½ plagulas, quarum prima tribus asteriscis, seqq. 4½ littera 𝔞, ceterae litteris 𝔟, 𝔄—ℨ, 𝔄𝔞—ℨ𝔷, 𝔄𝔞𝔞—ℨ𝔷𝔷, 𝔄𝔞 𝔞𝔞—ℨ𝔷 𝔷𝔷, 𝔄𝔞𝔞 𝔞𝔞—ℨ𝔷𝔷 𝔷𝔷, 𝔄𝔞 𝔞𝔞 𝔞𝔞—ℨ𝔷𝔷 𝔷𝔷𝔷, 𝔄𝔞𝔞𝔞 𝔞𝔞𝔞—𝔎𝔨𝔨𝔨 𝔨𝔨𝔨 signatae sunt, quarum quaeque, excepta ultima 4 plagulas (8 folia) complectente, 3 plagulas (6 folia) complectitur. Paginae numeris superioribus carent. — Duo folia utrumque titulum proxime sequentia exhibent Praefationem huius tertiae editionis a. 1696. scriptam, in qua affirmatur, alteram editionem anni 1688. multis centenis locis auctam et emendatam esse, hanc vero tertiam aliquot millibus locis auctam vel mutatam. — Seq. fol. 𝔞 1ª praebet imaginem Ernesti Ducis Saxoniae, Norimbergae a. 1677. sculptam; fol. 𝔞 2 continet viduae et liberorum Fr. Lanckischii Dedicationem ad Fridericum Ducem Saxoniae, datam Lips. d. 21. Martii 1688., ex altera edit. repetitam; subseq. folium foliis 𝔞 2 et 𝔞 3 interpositum praebet imaginem Friderici Ducis Sax., a. 1677. sculptam; fol. 𝔞 3ª—5ᵇ cont. eiusdem haeredum auctoris Dedicationem ad Fridericum Ducem Sax., datam Lips. d. 21. Mart. a. 1677., ex prima edit. recusam; fol. 𝔞 6 exhibet Privilegium Leopoldi Imp. novum d. 14. Ian. 1698 concessum ad decennium, priori a. 1678. concesso tunc temporis lapso; fol. 𝔞 7 cont. D. Mart. Geieri, Electoris Sax. concionatoris aulici supremi, praefationem ex prima edit. a. 1677. repetitam; seqq. 6 fol. 𝔞 8—𝔟 5 exhibent Prolegomena eiusdem primae editionis, inscripta: „𝔙𝔬𝔯𝔯𝔢𝔡𝔢 𝔞𝔫 𝔡𝔢𝔫 ℭ𝔥𝔯𝔦𝔰𝔱𝔩𝔦𝔠𝔥𝔢𝔫 𝔏𝔢𝔰𝔢𝔯," in quibus auctoris ratio et quid in hoc novo opere praestiterit declaratur. Ordo quidem vo-

cabulorum ex prioribus Concordantiis Agricolae et Zeisii retentus est, omnes autem loci ab auctore denuo explorati sunt, permulti in novissima quoque editione anni 1674. omissi additi, illic vitiose allegati hîc emendati, integrae voces, inprimis Particulae, cum suis locis illic praetermissae hîc receptae sunt. Praeterea vocibus titulorum instar alphabetico ordine propositis proxime subiunxit indicem hebraicarum et graecarum vocum, quas Lutherus illa voce germanica transtulit (vide supra p. LXXXV sq., ubi de hac re dixi). Praeter litteras graecas et latinas, illas voces hebr. et graecas indigitantes, quae singulis locis biblicis adscripti sunt, ut lector cognoscat, quaenam hebr. vel graeca vox germanicae Lutheri h. l. respondeat, invenitur etiam earum loco asteriscus (vel duo), ubi in hebr. vel graeco textu (vel in utroque) nulla exstat vox germanicae h. l. respondens. — Ibidem lectori indicatur, has auctoris Concordantias germanicas esse prius Volumen maioris operis iam perfecti, cuius alterum Volumen bipartitum in priori parte secundum hebraicas voces, in altera secundum graecas digestum sit. Utriusque partis specimina afferuntur, ex quibus lector auctoris methodum intelligat. Huius alterius Voluminis nunquam typis evulgati Epitome esse videtur illud opus supra p. LXXXIV sqq. recensitum. — Fol. b 6 exhibet Vitam auctoris scriptam ab Hieronymo Kromayero.

Paginae ipsius operis, quod fol. A 1a incipit, eadem ratione ac in prioribus Agricolae et Zeisii in tres columnas lineis separatas divisae sunt, quarum quaeque denuo subdivisa est in duas lineis seiunctas: unam angustam a sinistra, alteram multo latiorem a dextra. In illa nomina librorum biblicorum et numeri capitum, in hac praefixo versuum numero verba locorum afferuntur, sub singulis titulis, quae in medio lineae positae maioribus typis ab his verbis biblicis subiunctis distinguuntur. Singulae columnae tribus litteris initialibus vocum in iis allatarum inscriptae sunt. Dictiones eodem modo in aliis versibus eiusdem capitis aut aliis locis occurrentes semel ipsis verbis afferuntur, in quorum fine adscripti sunt versus aliique loci, ubi repetitae sunt.

Tanquam huius operis specimen affero eius initium:

AAA

A. A.

Apoc. 1 | 8 Ich bin das A und das O, 11. c. 21, 6. c. 22, 13.

Aaron.

:אַהֲרֹן Ἀαρών.

Exod. 4 | 14 Aaron, Mosi Bruder, ist beredt
27 der HErr sprach zu Aaron, c. 7, 8. c. 9, 8. c. 12, 1, 43. Num. 18, 1, 20.

etc.

Quarta huius operis editio, quae in Bibliotheca Orphanotrophei Halensis et inter paucos libros nostrae Ecclesiae Sancti Mauritii invenitur, prodiit 1705. iisdem locis, in eodem bibliopolio et officina, eâdem formâ maximâ. Uterque titulus solo anni numero a tertia edit. differt. Imagines Ernesti et Friderici Ducum Saxoniae in hac titulos proxime sequuntur. Seqq. foll. a 2—7 continent 1) Dedicationem secundae editionis a. 1688., 2) Dedicationem primae editionis a. 1677., 3) Privilegium S. Caesareae Maiestatis a. 1698., 4) Praefationem Mart. Geieri a. 1677. — Seqq. foll. a 8, b 1 — 6 exhibent Prolegomena primae editionis et Vitam auctoris scriptam ab Hieron. Kromayero. His, quae etiam in tertia editione leguntur, additae sunt 2 plagulae notis)*(,)*( )*(signatae, quae Praefationem huius quartae editionis exhibent, in qua affirmatur, nunquam tantum mutatum et emendatum esse quam in hac quarta editione.

Concordantiae ipsae in subsequenti fol. A 1 incipientes aeque ac in priori editione 445 plagulas iisdem litteris signatas continent, quae eadem ratione instructae sunt.

Anno 1718. prodiit nova editio bipartita formâ maximâ, quae sic inscripta est:

Concordantiae | Bibliorum | Germanico-Hebraico- | Graecae. | *(seqq. lineae* 5—15 *usque ad verba*—**Art gebrauchet werden.** *hîc praetermissae fere consentiunt cum lineis* 5 — 16. *tertiae editionis.)* | **Vorhin nach Anleitung** Conradi Agri-

colae in der Deutschen Concordantz | nach und nach zusammen getragen, darauf emendiret, vermehret und auf eine | gantz neue Art mit dem Parallelismo der Hebräischen und Griechischen Wörter | versehen und verfertiget | Durch | M. Friedrich Lanckisch. | Jetzo aber von neuen revidiret, in vielen Stücken und gantzen Titeln fast auf die andere | Helfte vermehret, und überall besser und nützlicher eingerichtet; | Und in zwei Theile, deren ersterer | Die Haupt-Wörter, | und der andere | Die Numeralia, Pronomina und Particulas in sich hält, | abgefasset und | Nebst einer kurtzen Einleitung | ausgestellet | Von | M. Christiano Reineccio, | S. S. Theol. Baccalaureo. | Mit allergn. Röm. Kayserl. Freyheit, und Königl. Poln. u. Churfürstl. Sächs. Vicariat-Privilegio. | Leipzig und Franckfurth, | In Verlegung der Lanckischen Erben. 1718.

Huius editionis, quae in Bibliotheca Academica Halensi asservatur, pars prior praeter simplicem titulum continet 342 plagulas, quarum prima non signata Caroli VI. Imperatoris et Friderici Augusti Regis Poloniae Privilegia exhibet. — Seqq. 6 folia A 2 - 4, B 1 - 3 continent Christ. Reineccii Prolegomena in hanc novam editionem, fol. B 4 cont. Vitam Fr. Lanckischii scriptam ab Hier. Kromayero, subseqq. foll. C 2—4 cont. Mart. Geieri Praefationem a. 1677. et Prolegomena primae editionis. Seqq. 336 plagulae, quae Concordantias ipsas exhibent, litteris A—Z, Aa—Zz, Aaa—Zzz, Aaa a—Zzz z, Aaa aa—Zzz zz, Aaa aaa—Zzz zzz, Aaa aaa a—Zzz zzz z, Aaa aaa aa—Ggg ggg gg, quarum quaeque duas plagulas (4 folia) complectitur, signatae et numeris superioribus 1—1342 instructae sunt excepto ultimo folio non numerato, quod *Παραλειπόμενα* continet

Huius operis altera pars habet hunc peculiarem titulum:

Deutsche | Hebräische und Griechische | Concordantz-Bibel, | Oder | Vollständige Anweisung | aller Deutschen, Hebräischen und Griechischen Wörter | in der gantzen H. Schrift, | Wo und wie oft dieselben gefunden und auf unterschiedliche Art | gebrauchet werden. | Anderer Theil | in sich fassend | Die |

Numeralia, Pronomina | Und | Particvlas. | Leipzig und Franckfurth, | In Verlegung der Lanckischen Erben, 1742. Haec pars praeter titulum et subsequens folium)(2 signatum, in quo Praefatio legitur, continet 217 plagulas litteris a—z, aa—zz, aaa—zzz, aaaa—zzzz, aaaaa—qqqqq signatas, quarum ultima 3 plagulas (6 folia), ceterae binas (4 folia) complectuntur, et superioribus numeris 1—868 instructas.

Huius editionis paginae eadem ratione ac in prioribus huius operis editionibus in tres columnas divisae eaeque iterum in duas subdivisae et tribus litteris initialibus vocum in iis allatarum inscriptae sunt; voces titulorum instar propositae maioribus typis a locis biblicis distinguuntur, iisque voces hebraicae ac graecae a Luthero illa voce germanica translatae cum litteris graecis et latinis (iuxta singulos locos biblicos repetitis) proxime subiunctae sunt illa methodo, quam supra p. LXXXV sq. descripsi.

VI. Concordantiae Bibliorum aliarum linguarum.

Huius generis Concordantias hucusque nullas ipse vidi; quapropter solos earum titulos ex indicibus a Le Long l. l. p. 459. et Lipenio l. l. I. p. 385 exhibitis h. l. affero.

1. belgicae.

Concordantiae Bibliorum Belgicorum per Petrum Janz Twisck Mennonitam. Hoorn 1615. Fol. Harlemii 1648. Fol.

Concordantiae Belgicae per Sebastian. Dranck. Harlemii 1618. Fol. (Illam editionem Harlemianam anni 1648. non ex illo, sed ex hoc opere repetitam esse suspicor).

Concordantiae Bibliorum Veteris Testamenti, incoeptae per Ioannem Martinium Dantiscanum, et absolutae per Abrahamum Trommium. 2 Voll. Amstelodami 1685—1692. Fol. (Huius operis iam supra p. LVIII. ex auctoris praefatione Concordantiis graecis praefixa mentionem feci.) Lipenius huius operis titulum belgice sic affert: Ioh. Martini en Abr. Trommii Volkomene Concordantien. Amstel. 1672. [potius 1692.] Fol.

2. suecicae

„Concordantiae Biblicae ex Germanico in Suecicum idioma ab Achacio Rahamb translatae Holmiae sub praelo sudant per partes edendae, ex quibus nuper litera A. prodiit in folio. *pag.* 39. *Holmiae literatae in* 4° *anno* 1707. *editae.*.“ Sic Le Long.

„Concordantiae Sueco-Ebraicae et Graecae, auctore Laurentio Halenio, cuius specimen editum est, in fol. formâ maximâ. „„Spes est (*inquit illustrissimus Benzelius*) confecto bello Moscovitico, regiis sumptibus, 2 voll. prodituras esse.““ Haec idem scripsit.

3. anglicae

A Concordance to the new Testament, compiled and printed by Thomas Gibson appeared about the year 1536. (Hae Concordantiae et subsequentes recensentur a Will. Thom. Lowndes in libro: The Bibliographer's Manual of english Literature. Vol. III. [London 1834. 8°] p. 1207 sq. sub nomine Marbeck).

John Marbeck, A Concordance, that is to saie, a Worke, wherein by the Ordre of the Lettres of the A. B. C. ye maie redely finde any Worde conteigned in the whole Bible, so often as it is there expressed or mencioned. London Rich. Grafton excud. 1550. Fol.

Concordantiae Bibliorum Anglicorum per T. W. London 1579. 8°. (Le Long titulos ab ipso afferendos ex lingua anglica in latinam vertit.)

English Concordance for the Bible, by Clem. Cotton. London 1618. Fol. 1625. Fol. 1631. Fol. 1635. 4°.

Sam. Newman, A Concordance for the Bible. London 1643. Fol. 1644. Fol. 1650. Fol. 1658. Fol.

Rob. Wickins, A Concordance of the English Bible. Oxford 1647. 4°. 1655 8°.

Regale propugnaculum S. Scripturae sive Concordantiae Bibliorum. Londini 1649. 8°.

Index Biblicus Mulbingii Angli. Londini 1666. 8°.

Vavasor Powell Concordance to the Bible. London 1671. 8°.

John Owen Concordance of the holy Bible. London 1673. 8°.

Concordantiae Bibliorum Anglicorum. Cantabrigiae 1689. Fol.

4. francogallicae.

Concordance de la Bible. à Genève 1566. Fol.

5. slavicae.

Concordantiae Slavicae curâ Eliae Kopieuvicz Typographi Amstelodam. brevi edendae. *Memoriae Trevoltianae Art.* 139. *Septemb.* 1711. (sic Le Long.).

VII. Concordantiae Corani.

1. Gustavi Fluegelii.

نجوم الفرقان فى اطراف القران Concordantiae Corani arabicae. Ad literarum ordinem et verborum radices diligenter disposuit Gust. Fluegel. Editio stereotypa. Lipsiae 1842. 4° mai.

2. Mirzae A. Kazem-Bek.

مقدّمة كتاب مستطاب مفتاح كنوز القران من تصنيفات ميرزا كاظم بكى Concordance complète du Coran, contenant tous les mots et expressions des Textes pour guider les orientalistes dans les recherches sur la religion, sur la législation, sur l'histoire et la littérature de ce livre. Disposée dans l'ordre lexique de l'Alphabet arabe et renferment l'indication des clefs ou des mots voulus du Coran, accompagnée de la citation de tous les passages où ils sont employés, et qui sont nécessaires dans les recherches et les investigations savantes, par Mirza A. Kazem-Bek, Professeur à l'université de St. Petersbourg. Petersbourg 1859. Fol. (11 et 333 pagg.).

